



Ex. 13. num. 3.

I. N. D. N. J. C. 1684, 5

A U T O R I T A T E

Magnifici Jctorum Ordinis

in

florentissimâ Academiâ Jenensi

De

COITU DAMNATO,

SUB PRÆSIDIO

DN. JOH. VOLK. Bechmann/

Hæreditarii in Sbern-Tröbra/

JCTI, S. Rom. Imp Exempti, Comitum Palatini

Cæs. P. P. Cod. Juris Publici &c. Famigeratissimi, Consilarii

Sax. Curia Provincialis, & Scabinatus Asfesoris Gravisissimi,

Spectatissimi,

*Dn. Patroni ac Promotoris sui maxime*

*devenerandi,*

ad diem Junii. M DC LXXXIV.

H. L. Q. C.

*disputabit*

A U T O R E T R E S P O N D E N S.

JOHANN. WOLFFGANG. Stelkner/

Brandenb. March.

J E N Æ

L I T E R I S N I S I A N I S.



P. 442

6

113





V I R O

*Per-Illustri & Reverendisimo*

D O M I N O

D N. GEBHARDO JVLIO  
de Mandelsloh/

Serenissimi ac Potentissimi Electoris Bran-  
denburgici in Ducatu Magdeburgensi Regimi-  
nis, tam Civilis, quam Bellici, *respectivè* Consiliario & Com-  
missario Generosissimo, ut & Ecclesiarum Collegiatarum  
S. S. S. S. Sebastiani, Petri, Pauli & Gangolfi *itidem respectivè*  
DECANO ET SENIORI Spectabilissimo, nec non Dynastæ  
in Ketten / Hesperdinge / Teutenwinkel / Mese-  
berge / Mablensin &c.

ERV D I T O R V M MÆCENATI CERTISSIMO,

DOMINO MEO BENIGNISSIMO,

*Felicitatem perennem!*





Ircumibant vigiles curæ, sic  
fixa laboris  
meta tui. Themidos speratæ  
gloria palmæ  
inflammat Te, mens doctis exercita  
curis  
ominibus faustis *Sapientium ad tem-  
pla serena*  
tendit; *Magna patet præstantibus A-  
rea cæptis.*

*Præ-Eximio Dno Authori animatus gratul.  
& hæc amicâ m. & m. scrib.*

*Joh. Volk. Bechmann/D.*

**M**irum est, ad fœdas demitti cor-  
pora culpas,  
*nec socio lecto consociare decus.*  
*Tu verò facinus divinâ lege refre-  
nans*  
*demonstras mentis robur & ingenii.*

F

Nos



Nos plausu excipimus studium hoc in-  
signe; Laborem  
pensabit largo faenore diva The-  
mis.

*Αὐτοχρησῆς, affectu tamen prolixo &  
sincero scribeb.*

Georg. Wolffg. Wedelius, D.

**Q**uem damnat Coitum Legum veneranda pote-  
stas,

Christiadum sanè quemque cavere decet.

Hoc & Tu satis indigitas STELTZNERE, probasq;

Quod clarè præsens hoccè notat specimen.

Gratulor his ausis, faxit Rex magnus Olympi,

Ut Tibi sint Comites Gloria, Fama, Salus.

*Nob. Dno Autori, Fautori suo honoratissimo,  
gratulante calamo scribeb.*

Joh. Georg. Simon. D.

**D**Um medio cælo lampas Phœbéa  
refulget,  
Nonnullis volupe est otia blanda  
sequi.

Tu





P R Æ L O Q V I V M.

**V**iventium est generare sibi simile. Hinc ipsa natura distinxit sexum, conformavit membra generationi destinata, & maximam homini ad coitum indidit cupiditatem. *v. l. 2. C. de Indict. Viduit. Toll. Nov. 2. C. 3. Nov. 39. C. 2.* Quam tamen, nè ad quasvis impellat permixtiones, rationis imperio subjecit, ut, quoties instinctus isti naturales in actum deducuntur, Legibus fiant conformes, omnes verò coitus contra illud dictamen rectæ rationis facti damnentur. Quorum prohibitionem, poenas & dispensationem, qua fieri potuit brevitate, loco documenti publici, otii mei literarii, pro ingenii modulo indagaturus, summum Numen, ut omnium bonorum & donorum, *Jacob. 1. vers. 17.* ita in specie donorum animi, ut sunt Sapientia & Scientia, *Eccles. 1. vers. 1.* fontem & originem, à quo omne principium faciendum, *Nov. 59. Proëm.* humillimis veneror precibus, pro scopo, qui Gloria ipsius, proximi salus, felicissimè consequendo.

A

DIS-



SS(2)R  
DISSERTATIONIS  
De  
COITV DAMNATO

PARS PRIOR,  
Coitus Damnati cum Evolutione Onomatolo-  
giae, Definitionis Realis & Divisionis Naturam &  
Moralitatem exhibet.

CAPVT I.

*Coitus Damnati Definitionem  
Nominalem & Realem sistit.*

ARGVMENTVM.

*Ante omnia disputaturo, quid res sit, respiciendum as-  
seritur 1. Quod ex Definitione apparet 2. Cujus Definitio-  
nis subjicitur Divisio 3. & partes Definitionis Nominalis  
4. Etymologia alia Grammatica 5. alia Logica 6. qua ex-  
plicatur ratione vocabuli Coitus 7. cuius annectitur Sy-  
nonymia, 8. & Homonymia, 9. cum explicatione 10. & seqq.  
Undè derivetur vocabulum Damnatus, 14. quid involvat  
15. quodnam ejus Synonymum, exponitur 16. cum seqq. &  
evoluta Homonymia 18. & seqq. definitur 23. qua. Definitio  
examinatur 24. & 25.*

POSITIO I.

**N**on sine ratione Imp. noster monet in l. 13. §. 3.  
ff. de Reb. Dub. Animadvertendum esse, quid  
sit, de quo quaeritur, cum alias facile minutiae  
quaedam inde oriundae rerum tractandarum  
rumpant pondera. Quid autem res sit, nul-  
lo aptiori medio potest explanari, quam Defi-  
nitione, ad quam ceu Lydium Lapidem cuncta probantur,  
&



& pro separata natura Vocabuli & Rei ipsius una Nominis, 3  
altera Rei constituitur.

II. Definitionem ergò seu Descriptionem Nominalem 4  
quod attinet, absolvitur illa Etymologia, Synonymia & Ho-  
monymia.

III. Etymologia alia est Grammatica, alia verò Logica. 5  
Ratione Etymologiae Grammaticae Coitus est nomen Verba- 6  
le à Verbo *coire* descendens, quod ex Praepositione *Cum* &  
Verbo *Eo* compositum: Ratione verò Etymologiae Logicae  
Coitus à *coeundo*, h.e. *miscendo* seu *immiscendo* vel *permiscendo*, ut  
dicitur in *Nov. 2. c. 3. circa medium*. descendere non ambigitur;  
eo, quod ii, qui coeunt, cupidius in amplexus ruant, & spiritu  
vivifico turgidum semen in ipsum ventrem immittant. 7

IV. Ex quibus facile colligi possunt ejus Synonyma, scil. 8  
*Commixtio, Immixtio, Permixtio, Congressus* &c. ein fleischlich Zu-  
sammenhalten / Erkenntnis. Cum autem vocabulum Coitus,  
quemadmodum & plurima alia, negotiorum humanorum 9  
conditione & multitudine, nec non vocabulorum paucitate,  
ita ferente *l. 4. ff. de Praescr. Verb.* quodammodò sit ambigu-  
um, ad evolutionem ejus Homonymiae properandum.

V. Quae Homonymia pariter ex praecedenti pos. simul 10  
elucescit, scil. quod vocabulum Coitus hic in sensu speciali, 11  
non pro nudo conventu quodam, vel personali seu corpora-  
li vel mentali, sed pro Coitu carnali accipiatur, quem homo 12  
ex facultate animae sensitivae suscipit. *Arist. de Generat. Animal.*  
*L. 2. Cap. 1.* Quamvis bruta animalia à sola natura regantur, & 13  
ex necessitate agant, libero agendi arbitrio destituta, *Thom.*  
*L. 2. Qu. 13. Art 2.* In homine autem appetitus sensitivus ratio-  
nis obtemperet imperio, ab eòque gubernetur.

VI. Alterius vocabuli Inscriptionis quod attinet Ety- 14  
mologiam, Damnatus dicitur quasi *diminutus* à *demendo* seu  
*minuendo*. Nimirum quod omnis Justitia Coitui Damno 15  
fit adempta. Et cum damnandi verbum Obligationem quan-  
dam involvat pro nostra substrata materia, idem est, ac coeun-  
tem reum & obnoxium poenae seu rei alicujus praestandae fa-  
cere.



16 VII. Et sic quod Synonymiam vocabuli Dammati atti-  
 net, convenit quodammodo cum *Proscripto*; cum pariter di-  
 cantur damnati, *arg. tit. C. de Bonis Proscript. siv. Damn.* à scriben-  
 di ceremonia, quam Ulpianus explicat in *l. 11. §. 3. ff. de Inst. Act.*  
 17 Hinc, utcunque proscripti illi, damnati nondum fuerint, quia  
 tamen in ea causa erant, ut & condemnationi & executioni,  
 si copia eorum haberi posset, essent subjiciendi, bona eorum,  
 statim, pariter ut jam condemnatorum, occupabat Fiscus.  
 Ratione deprompta à majori: Cujus enim persona & corpus  
 Magistratui obnoxium est, ejus longè fortiori ratione & bona.  
*arg. tit. C. Nè fidej. dot. dent.*

18 VIII. Ratione Homonymiæ, quanquam ipsa sui natura  
 19 verbum *Damnatus* judiciale videatur, latius tamen sumtum,  
 & in reliquis civilibus Obligationibus usurpatum reperio: Cum  
 20 & Romanis Legata Damnationis frequentata sint, quibus here-  
 des suos ad aliquid dandum vel faciendū obstringebant, cujus  
 21 formula exhibetur §. 21. *Inst. de Leg. Add. Dd. ad eund. §. 2. d. t.* Sic  
 22 notæ quoque sunt *Leges Damnatæ*, nec non, quod sæpius da-  
 mnatum pro eo, quod prohibitum & interdictum est, accipia-  
 tur, inter omnes constat, in quo sensu etiam à nobis nunc ac-  
 cipitur.

23 IX. Hinc etiam, ut totam rem in compendium re-  
 digam, brevissimè *Coitum Damnatum* definitio, per Concubi-  
 24 tum Legibus prohibitum. Ita enim, cum communiter co-  
 25 euntes concumbant, dici solet. Ergò, quo distinguatur à  
 matrimonio, addenda erant verba: *Legibus prohibitus*. Scilicet  
 Naturalibus, Gentium & Civilibus, ut sic omnes illicitas con-  
 junctiones sub Definitione comprehenderem.

C A P V T II.

*Coitus Dammati Divisiones ostendit.*

A R G V M E N T V M.

*Transitur ad Coitus Dammati Divisiones i. prius autem*



tem ejus indagatur fundamentum, quod luxuriam dicimus 2. cujus species recensentur 3. quorum aliqua adhuc videntur controversæ, 4. ex subjectis Instantiis 5. ad quas respondetur 6. Et hinc dividuntur tam ratione personarum, qualitatis 7. quam aliarum circumstantiarum: 8. In Coitus Damnatos (1) prostitutionis publicæ 9. ut Fornicatio 10. quæ definitur 11. Et separatur à Stupro 12. cujus occasione Coitus Damnatus (2) dicitur corruptionis 14. Et ratione Stupri est vel voluntarius 16. vel violentus 18. ratione necessitudinis verò incestuosus 19. Et 20. vel ex Jure Gent. vel ex Jure Civ. 21. ratione Fidei Conjugalis Adulterium audit 22. quod subdividitur in simplex, 23. Et duplicatum 24. Et tandem ratione Voti violati Sacrilegium dicitur 25. Et pariter dividitur in duplicatum 26. Et simplex 27. ex qualitate delinquentium (3) est cohabitationis illicitæ, quæ fit per Concubinatum 28. Et denique (4) ex mera Libidine procedit per Sodomiam 29. quæ variè dividitur. 30. Ratione circumstantiarum est vel Vinculi duplicis, ut in Polygamia 31. vel violentæ de loco ad locum deductionis 32.

## X.

**A**Ntequam autem has prohibitiones plenius discutiamus, **C**oitus Dammati Divisio prius erit indaganda. Cum enim pro fundamento & fine habeat Luxuriam, omnes quoque ejus Species huc pertinent, cujusmodi Thom. *Quest. 154. Art. 1.* 3 ex Gratiano sex recenset: Fornicationem, Adulterium, Incestum, Stuprum, Raptum & vitium contra naturam, quibus 4 & addunt Sacrilegium, inter quas quidem, aliqui, Adulterium, Incestum, Raptum, Stuprum & Sacrilegium non esse propriè Species Luxuriæ, sed solum morali & vulgata ratione loquendi, cum deformitas, quam addit circumstantia illa personæ vel loci Luxuriam contrahens, non fit contra castitatem, sed contra aliam virtutem: In Adulterio, Raptu & Stupro contra *Justitiam*: In Sacrilegio contra *Religionem*: In Incestu con-



6 tra *Pietate*, quæ Parentibus & Sanguine junctis debitam re-  
 verentiam defert: Sed cum Luxuria magis fit formalis in  
 hisce Delictis & per modum finis se habeat, Justitia verò ma-  
 gis materialiter & per accidens concurrat, cum Adulterium  
 vix committatur, ut fiat Injuria, sed ob voluptatem carna-  
 lem, committantur etiam hæc Delicta in materia Luxuriæ,  
 & per actum ejus; potius dicuntur Species Luxuriæ, quam  
 Injustitiæ, magis in iisdem elucente Luxuria, *Less. de J. & J.*  
*Lib. 4. Dub. 6.*

7 XI. Dividitur proinde Coitus Damnatus vel ratione  
 8 Personarum seu delinquentium qualitatis, vel propter cir-  
 cumstantias extrinsecus personam afficientes, quamvis hac  
 ratione ob varias qualitates nomen Generis sc. *Damnati Coitus*  
 quandoque mutetur: *Hahn. Dissert. Select. 14. pos. 8. 9. 10. & 11.*

9 XII. Ratione Personarum qualitatis Coitus Damnatus  
 10 vel (1) *Prostitutionis Publicæ* dicitur, ut Fornicatio in specie sic  
 11 dicta, quæ est Concubitus cum meretrice pluribus se prosti-  
 12 tuente commissus, *Dn. Struv. J. R. G. F. Lib. 3. Tit. 28. §. 14.* adeoq;  
 13 differt à Stupro pariter in sensu specialiori accepto pro forni-  
 catione seu defloratione Virginis vel Viduæ honestæ, *J. 4.*  
*Inst. de Publ. Jud. ibique Dn. Stryk. Add. l. 6. §. 1. & l. 54. ff. ad l.*  
*Jul. de Adult. l. 101. ff. de V. S. l. 3. C. de Concub. c. lex illa. c. 36. Quest. 1.*  
 14 Qua ratione Coitus Damnatus (2) *Corruptionis seu Violationis*  
 dicitur.

15 XIII. Et sic iterum quadruplex est: (a) Dum commit-  
 16 titur cum Fœmina honesta, de qua specie modò dictum, &  
 est ipsum *Stuprum*. Quod tamen iterum dividitur in *Volunta-*  
*rium*, quod consentiente vel parum reluctante Virgine vel Vi-  
 17 dua committitur, arg. *d. §. 4. Inst. de Publ. Jud.* cum semper ubi  
 18 Electio adhuc locum habet, ratio inviti non habeatur, *Arist.*  
*L. 2. Eth. C. 7. & Violentum*, quod citra voluntatem patientis,  
 usque ad ultimum Actus punctum & exclamationibus & re-  
 liquis corporis viribus resistentis, per vim aliisque illicitis ar-  
 tibus committitur, fortè magicis, aut incusso metu, qui etiam  
 in constantissimum Virum cadere potest: ut ex celebri illo  
 exemplo Lucretiæ, quam Romanæ pudicitæ Ducem vocat  
*Valer. Max. Lib. 6. cap. 1. apparet.* XIV.



XIV. Ratione Corruptionis seu Violationis Coitus  
 Damnatus (β) *Necessitudinis* dicitur, & aliàs nomine *Incestus*  
 effertur, seu Stupri in personas sanguine & affinitate junctas  
 commissi, quæ ex prohibitione Juris Matrimonium contrahe-  
 re nequeunt, conf. Dd. ad *Auth. Incestus. & Auth. Ex complexu.*  
*Et. t. C. de Incest. Nupt.* Adeoq; subdividitur in eum, qui fit in-  
 ter Ascendentes & Descendentes, & eum, qui ratione Cōsanguini-  
 nitatis vel Affinitatis committitur, conf. Dn. Stryk. in *Annot. ad*  
*Tit. Inst. de Nupt. Rubr. de Comp. Grad. in Consanguinitate cum seqq.*

XV. Ad quod Divisionis principalis membrum quoq; spe-  
 Etat Coitus Damnatus (γ) *Fidei Conjug alis* seu ipsum *Adulte-*  
*rium*, cum dicatur thori alieni violatio, per d. §. 4. *Inst. de Publ.*  
*Jud. l. 6. §. 1. ff. ad L. Jul. de Adult. C. 2. c. 36. Qu. 1. C. Mechaberis.*  
*c. 32. Qu. 5. & l. 220. ff. de V. S.* Quod pariter subdividitur, nempe  
 in *Adulterium simplex*, quo unius saltem thorus violatur, &  
*duplicatum*, in quo uterque & proprium & alienum thorum  
 polluit, Dn. Struv. d. l. §. 16. Berlich. *Tom. 4. Conclus. 27. n. 6.*

XVI. Denique Coitus Damnatus Corruptionis seu  
 Violationis contingit quoque (δ) *Violatione Voti per Sacrilegium*,  
 quatenus persona, quæ Deo castitatem vovit, ritibusque Sa-  
 cris est initiata seu publicè consecrata, per fornicationem  
 violatur. Illudque ad similitudinem adulterii dividunt in  
*duplicatum*, si Monachus coeat cum Moniali, Dn. Ziegler ad  
*Lancellot. Lib. 2. Tit. 8. §. 6. & sacrilegium simplex*, ubi utrobique  
 unum tantum castitatis Votum violatur, sive Masculus Deo  
 consecratus concumbat cum Laica, sive persona non Sacra  
 consentiat in Actum venereum Monialis, Hahn. d. l. *pos. 71.*

XVII. (3) Coitus Damnatus ex qualitate Delinquen-  
 tium proveniens est *Cohabitationis Illicite per Concubinatum*, dum  
 solutus cum soluta citra Maritalem Affectionem fornicatio-  
 nis causâ concumbit.

XVIII. Et (4) Denique ex mera *Libidine* procedit, qui  
*Sodomia* vocatur, seu fornicatio contra naturam Generis vel  
 Sexus, vel juxta hujus naturam, ast præposterato ordine com-  
 missa; Hinc subdividitur in *Sodomiam*, quæ fit per Concubi-  
 tum (α) *Homini* cum bruto vel mortuo. (β) *Maris* cum Ma-  
 re.



re. (2) Fœminæ cum Fœmina per Const. Crim. Art. 116. 161.  
 So ein Mensch mit einem Vieh/Mann mit Mann/Weib  
 mit Weib/2. cum quævis agitatio Veneris nec scopum nec  
 modum naturalis Veneris servans sapiat Sodomiam, Boër.  
 Decis. 116. n. 10.

31 XIX. Ratione Circumstantiarum Coitus Damnatus est  
 32 *Vinculi duplicis vel violentæ de loco ad locum deductionis.* Ille con-  
 tingit inter personas, quarum alterutra conjugata sub figura  
 Matrimonii: Hic verò in fornicatione cum persona honesta  
 vi abducta consistit, arg. l. un. C. de Rapt. Virg.

C A P V T III.

*Coitus Damnati Naturam &  
 Moralitatem seu Prohibitionem  
 inquirit.*

A R G V M E N T V M.

*Quilibet homo cum natura appetit vitam socialem 1.  
 ut capax sit notionum vitæ sociali inservientium necessario  
 requiri probatur 2. & 3. Jam autem Genus humanum per  
 vagos Concubitus propagari non congruere vitæ sociali pro-  
 batur tam rationibus 4. & 5. quam autoritate Ciceronis 6.  
 hinc in sexto præcepto omnem Concubitum præter Matrimo-  
 nium prohiberi probatur 7. quod ulterius deducitur in spe-  
 cie ratione fornicationis 8. Stupri 9. Concubinatus 10. qui ali-  
 quibus quidem dicitur Matrimonium naturale 11. in veteri  
 Ecclesia fuit toleratus 12. Jure Civ. permissus 13. malè ta-  
 men ab Ulpiano præfertur Matrimonio 14. & hinc laudatur  
 Sententia Leonis 15. atque ex virtute Legis affirmativa  
 Concubinatus malitia demonstratur 17. quod Conjugium  
 tantum imperetur à Jure Nature, à quo differre Conconi-  
 natum*



*statum ratione finis principalis 18. Et ratione intentionis probatur 19. atq; differentia Matrimonii ad Morganaticam demonstratur 20. licet ab Hebraeis Concubinatus fuerit nominatum. 21. Quibus omnibus Incestus gravior reputatur, 22. quem etiam bruta averfantur, 23. licet aliqui contrarium probare contendant instantia gallorum gallinaeorum, 24. Et barbarorum, 25. cum obstet pudor naturalis, 26. Et 27. quod probatur autoritate Legum, 28. Et Grotii, 29. Fratrum tamen Et Sororum Connubia non prohibuisse Naturam probatur ex prima hominum Creatione, 30. Subjicitur ratio, cur Princeps alios gradus adhuc prohibuerit Consanguinitatis 31. ut in Saxonia Et aliis Ditionibus, 32. quod eodem modo se quoque habere in Affinitate probatur 33. cum Limitatione generali. 34. Transitur ad Adulterium, quod aequè J. N. contrarium probatur, 35. quod contineat Furtum, 36. Sacrilegium, 37. Et aliquando Homicidium, 38. hinc taxatur Alexander III. 39. Et laudatur Clemens Papa 40. quod etiam ad Sponsam alienam extenditur, 41. cum Consensus faciat Nuptias 42. Copula Carnalis nihil superaddat 43. nec aliqua solennia Jure Naturæ Et Gentium requirantur. 44. Polygamie convenientiam cum J. N. alios negare ex variis rationibus; 45. alios probare præprimis ex Sacra Scripturæ dictis asseritur 46. reservata nostra sententia usque ad discursum. 47. denique Sodomiam maximè J. N. contrariam probatur 48.*

POSITIO I.

**C**Um omnis homo naturaliter appetat vitam socialem ejusque culturam, necessariò etiam capax requiritur notionum societati colendæ inservientium: quippè cum sine illis boni istius appetibilis particeps fieri non possit. Sunt autem Notiones istæ ipsa Principia generalia, rationi nostræ,

B

quæ



quæ in homine non sublata fuit, licet qualitas ejus immutata, naturaliter insita, quæ in omni Discursu præmittenda, ut quasi quoddam fundamentum argumentationi sint, ac normam constituent, cui res congruant. Adeò, ut, qui se ignorare dicit ista principia prima, & consequenter ipsam rectitudinis normam, simul sibi ratiocinandi denegare facultatem, imò ipsam Conscientiam seu operationem habitus principiorum practitorum, quæ hunc Discursum mentis comitatur, necesse habeat.

4 II. Jam autem naturam humanæ Societatis penitus rimanti non obscure patet, haud quicquam congruere, genus humanum per Concubitus vagos ac Lege solutos propagari, utut fortasse uterque concumbentium, aut alteruter intentionem habeat eo actu prolem excitandi. Sine Matrimoniis namque nullæ Cognationes sat distinctæ, nullæ quoque familiæ possent existere, adeoque nec Civitates intelligerentur, nec Patrimonia, sed homines agerent vitam segegem, & paulò minus, quam belluinam. Quod ipsum Ciceronem, 5 tanquam Ethnicum jam suo tempore cognovisse, apparet ex Ejus *Lib. 2. de Leg.* ubi eleganter ita dicit: *Nec, si regnante Tarquinio nulla erat Romæ scripta Lex, de Stupris idcirco non contra Legem illam sempiternam Sextus Tarquinius vim Lucretiæ Tricipitimi Filie attulit. Erat enim ratio profecta à rerum natura, & ad rectè faciendum impellens, & à Delicto avocans, que non tum denique incipit Lex esse, cum scripta est, sed tum, cum orta est, orta autem est simul cum mente Divina. Quamobrem Lex vera atque Princeps apta ad iubendum & vetandum ratio est recta summi Jovis.*

7 III. Hinc merito & necessario in sexto isto præcepto Compendii Juris Naturæ omnis Coitus extra Matrimonium prohibitus intelligitur: Cum enim variæ sint ejus Species, ut in Capite præcedente ostensum, aliæ aliis graviores, ex una Specie crassissima, eaque maximè humanæ Societati adversa & in proximum contumeliosa, (Adulterii scilicet,) reliquas omnes, quæ sub uno Genere, (Lasciviæ nempe, ut supra dictum,) continentur, notari, ex eo necessario colligitur, quod, cum Lex Decalogi sit indefinita & perfecta, peccata, omnia



omnia prohibens & virtutes omnes commendans, sub aliqua Legis parte contineri oporteat, quæcunque ad illius peccati, Luxuriæ naturam faciunt. Nulla verò alia est præter hanc prohibitionem, ad quam revocari possunt Scortatio, Imundities, Adulterium, Lascivia &c. quas ita enumerat Apostolus ad *Gal. 5. vers. 19. Add. 1. Corinth. 6. Ephes. 5.*

IV. Et insuper, cum solam conjunctionem, quæ fit per Matrimonium, honestam homini & decentem ratio cuilibet dicat, nullas personarum aut alias Circumstantias respicit Jus Naturæ. Cum enim appetitus ille venereus sit à natura & omnibus animalibus naturalis, non potest etiam, is ut in cæteris animalibus non esse finitus, & per consequens *Meretrices*, deterrima illa Libidinum mancipia, Jus Naturæ non possunt non oppugnare, dum certis limitibus à Natura circumscriptum Concubitus in infinitum extendunt. 8

V. Non minorem, imò majorem potius turpitudinem *stuprationem* comprehendere, vel exinde apparet, quod non tantum, pariter ut fornicantes, utantur Concubitu isto ad libidinem, cum tamen omnia bruta procreationem ex sua natura intendunt, cum eo maxime tempore, quod alendo partui est aptissimum, junguntur, sed etiam ex nova turpitudinis specie illicita ejusmodi defloratione, pietatem & reverentiam Parentibus debitam graviter faucient, gravissimam Parentibus, qui una cum Liberis censentur esse caro, imò toti ferè familiæ adspergentes maculam. 9

VI. Quibus merito quoque adjungitur *Concubinatus*. 10  
 Quamvis enim plures Dd. eundem pro Matrimonio naturali agnoscant, vid. *Grot. de J. B. & P. Lib. 1. Cap. 2. §. 6.* in veteri Ecclesia, quamvis rigida disciplina esset, Concubinatus toleratus, nec censuris Canonicis subjectus. Quo refert Dn. Hildebr. *Tract. de Nupt. Vet. Christ.* verba Concilii Toletani *1. Can. 7.* *Qui non habet Uxorem, pro Uxore Concubinam habet, à communionem non repellatur, tamen ut unius Mulieris aut Uxoris aut Concubinae, ut ei placuerit, sit conjunctione contentus,* vid. tamen *Grot. d. l. L. 2. C. 5. §. 15.* & Jure Civili permissus, per *t. t. ff. d. Concub. & l. un. C. 13. eod.* falsum tamen est, quod ait Ulpian. *l. 1. §. 1. ff. d. t. hone-* 14



15 stius esse Patrono libertam habere Concubinam, quam uxorem, & longè melius respondet Leo *Nov. 91.* Concubinatum contra honestatem esse introductum, cum non omne, quod licet, honestum sit, *l. 42. ff. de R.N.* nec honestum aliquid sit Lege, sed natura, *Arist. Libr. 1. de Mor. Cap. 1.*

16 VII. Recurrimus proindè ad nostra principia, & postquam demonstravimus, quod Matrimonium maximè conveniat cum natura vitæ socialis, & dicitur à recta ratione, seu Jure Naturæ, ut alios Coitus, sic etiam Concubinatum, omninò damnamus, cum ipsa ratio statim dicitur, quod præcepta affirmantia vel præcipientia semper involvant prohibitionem. Quam in rem egregia est Sententia Theodosii

17 & Valent. *Imp. in l. 5. C. de L.L.* ubi appositè loquuntur: Ad omnes Legum interpretationes, tam veteres quam novellas, trahi generaliter imperamus, ut Legislatori, quod fieri non vult, tantum prohibuisse sufficiat, cætera, quasi expressa ex Legis liceat colligere voluntate. Quibus consonum est illud Pauli in *l. 189. de V.S.* Facere oportere & hanc Significationem habet, ut abstineat quis ab eo factò, quod contra conventionem fieret & curaret, nè fiat, & in *l. 121. de R.I.* Qui non facit, quod facere debet, videtur facere adversus ea, quia non facit: & qui facit, quod facere non debet, non videtur facere id, quod facere jussus est.

18 VIII. Jam autem à Conjugio nimis quantum differt Concubinatus; tam respectu *finis* ejus *principalis*, sobolis sc. procreationis, quem omnes pii Parentes intendunt, ut dicitur, in *l. 220. §. 3. de V.S.* quam ratione *intentionis*, qui perpetuam vitæ consuetudinem respicere deberet, non cohabitationem libidinofam, per temporis aliquod intervallum. Hinc eò turpius est in Concubinatu coire ex libidine, quò honestius in perpetuum Matrimonia contrahuntur, ut adeò omnis Concubinatus, cui Affectus Maritalis deest, recte Jure Can. prohibeatur, *C. audite charissimi. dist. 34. C. dicat aliquis. c. 32. Quest. 4. Hahn. ad Wesenb. Paratit. ff. de Concub. n. 3.*

20 IX. Ex quibus quilibet facile intelligit, cum Concubinis hisce non confundendas esse Uxores Morganaticas, quas quidam



dam velut secundarias vocat, cum quib9 individuum vitæ con-  
 suetudinē cocunt imprimis Illustres personæ, vid. Myl. in *Gamo-*  
*log. Princ. Cap. 16. n. 15. & seqq.* hac statim ab initio ante contra-  
 ctum Matrimonium expressa conditione, ut Uxor pariter ac  
 Liberi indē nati accepto dono nuptiali vel certa bonorum  
 portione à reliqua hereditate, imo & dignitate paterna exclu-  
 dantur, nè ob felicitatē numerosæ prolis nec bona dividere, nec  
 apanagia nimis augere, sed familiæ splendorem salva Justitia &  
 utilitate publica conservare queant, Dn. D. Stryk. *Ex. Jur. Feud.*  
*Cap. 7. Qu. 3. & seqq.* Quamvis tale Conjugium etiam cum libera 21  
 Fœmina initum Hebræi Concubinatum vocaverint, testante  
 Grot. de *J. B. & P. Lib. 2. Cap. 7. §. 8. n. 9.*

X. Tantò verò majori ratione *Coitus incestuosus*, licet per 22  
 Matrimonium contingat, damnandus, quantò dictis omnibus  
 est atrocior, nec immerito ipso Adulterio gravior reputatur,  
*l. 38. §. 3. ff. ad L. Jul. de Adult.* quem bruta quoque animalia, 23  
 si Plinio *Lib. 8. Hist. Natur. Cap. 32.* Arist. *Hist. Animal. Libr. 9.*  
*Cap. 47.* credimus, averfantur. Nec movent argumenta 24  
 Diogenis & Chryssippi à gallis gallinaceis & aliis brutis pe-  
 tita, quibus probare contenderunt, commixtiones tales non  
 esse contra Jus Naturæ, nec in universum omnium barbaro- 25  
 rum obstare potest observantia in contrarium, quam Grot. de  
*J. B. & P. L. 2. C. 5. §. 12. n. 3.* ex Euripide allegat:

*Tale est omne barbaricum genus.  
 Mater jungatur Filio, Natæ Pater,  
 Frater Sorori, proximè alterna manus  
 Coede implicantur: Nulla Lex prohibet nefas.*

Cum ideò non desinat aliquid esse Juris Naturæ, quod multi  
 contrarium faciant, Arist. *L. 1. Eth. Cap. 10.*

XI. Sufficit, quod cardo quasi omnis decoris ordinis 26  
 in societate humana in hoc vertatur, ut propagatio Sobolis  
 sanctis Legibus circumscribatur, & hinc Dignitati suæ conser-  
 vandæ studens natura pudorem commenta sit, quem non  
 postremam causam dicere posses, quare ipso Jure Naturæ in- 27





ter Ascendentes & Descendentes in Linea Recta connubia  
 censeantur prohibita, præsertim cum nullus unquam Casus  
 extierit nec probabiliter existere possit, ut servando generi  
 28 humano eorum admittendorum necessitas foret. Cui con-  
 sentit Paulus, asserens, in contrahendis Matrimoniis Natura-  
 le Jus & pudorem respiciendum, & contra pudorem esse, Fili-  
 am suam Uxorem ducere, *l. 14. §. 2. ff. de R. N.* Et hinc est, quod  
 dicitur Natura, turpe esse & nefandum, cum illa conjungi, ex  
 qua quis prognatus est. *l. 14. ff. de R. N. Nov. 12. Cap. 1.*

29 XII. Neque ipse Grotius, dissentire videtur, quando  
*L. 1. Cap. 5. §. 12. n. 2.* ait: *Nam nec Maritus, qui superior est, Lege*  
*Matrimonii eam Reverentiam potest præstare Matri, quam Natura*  
*exigit, nec Patri Filia, quia, quanquam inferior est in matrimonio,*  
*ipsum tamen Matrimonium talem inducit societatem, quæ illius necessi-*  
*tudinis Reverentiam excludit.*

30 XIII. Fratrum verò Sororumque Connubia Naturam  
 haud prorsus ab initio vetuisse exinde patet, quandoquidem  
 ipsa quasi voluit Natura, ut ejusdem Conjugii prima fieret,  
 humanæ societatis propagatio adeò, ut existat planè causa  
 per se & proxima, dum non nisi unus Masculus & Fœmella  
 una in generis humani propagationem ab ipso Naturæ Con-  
 ditore fuerint constituti, cum tamen plures creari, perindè, ut  
 in reliquis animalium speciebus factum, potuissent, nisi mi-  
 nus consentaneum Naturæ societatis humanæ visum fuisset,  
 summo Creatori.

31 XIV. Cæterum, cum Principes & Rerumpp. Moderato-  
 res custodes sint utriusque Decalogi Tabulæ, ut subditi ab in-  
 cestis nuptiis in gradibus à DEO ipso prohibitis eò studiosius  
 & religiosius abstineant, vallum & sepimentum quasi Divinæ  
 32 prohibitioni addiderunt. Ut hinc moribus hodiernis obser-  
 vata Computatione Canonica, licet prohibitio eousque non  
 extendatur, in Saxonia, Ducatu Würtembergensi, Schlesvicensi  
 & Anhaltino, nec non Hennebergico Comitatu prohibitum  
 sit Matrimonium usque ad tertium gradum lineæ inæqualis  
 33 inclusive, Dn. Philipp. *Inst. L. 1. Eclog. 63.* Quousque autem  
 gradus prohibitus in Consanguinitate, eousque etiam prohi-  
 bitus



bitus in Affinitate, cum, quoto gradu quis junctus est alterius Uxori Confanguinitate, toto gradu eidem junctus sit Affinitate. Maritus enim per Matrimonium cum Uxore fit una caro, ut sic eodem vinculo Cognatis Uxoribus jungatur. *Mo-* 34  
*dō* tamen respectus Parentelæ non concurrat, qui Casus ex majori ratione tam Confanguinitate, quam Affinitate prohibitus, *Carpz. Jarrispr. Consist. L.2. Def. 77. Dn. Stryk. Annot. ad Inst. de Nupt. sub tit. de Comp. Grad. Consang. & Affin. §. 16. & 20.*

XV. Inito Matrimonio servandam esse fidem Conju- 35  
 galem, pariter ex Convenientia illa cum vita sociali & quidem proximè satis apparet. Uti enim Cicero pro Roscio ideò parricidium omnibus aliis criminibus præfert, quia in eo omnia scelera contineri videntur, sic etiam non potest non quilibet intelligere, Adulterio maximè turbari vitam socialem, utpotè in quo ferè non pauciora continentur. Continet enim Adulterium speciem quandam Furti, *1. Cor. 7. Proverb. Cap. 6. 36*  
*vers. 30. cum seqq.* nec non Sacrilegii, *1. Cor. 6.* undè Adulteri nominantur Sacrilegi Nuptiarum, *l. quamvis. C. de Adul. & clan-* 37  
*culum armatur Adulter in eos, quos suis conatibus resistere* 38  
*novit, cum intentione si necessitas efflagitet, ferro se defendendi, vel offensum Maritum aggrediendi, conf. Arnif. de Jur. Connub. Cap. 5. Sect. 8. n. 58.* ut hinc licet Adulterium ab 39  
 Alexandro III. inter Crimina minora & leviora referatur, *C. 4. §. 1. x. de Jud. rectius tamen cum Clemente quis dixerit: Quid* 40  
*in omnibus peccatis Adulterio est gravius, C. quidin omnibus. C. 32. Qu. 7. Add. Carpz. Prax. Crim. Part. 2. Quest. 51. n. 31. & seqq.*

XVI. Quod ad Sponsam alienam rectè extenditur, 41  
 per *l. 7. C. de Publ. Jud. l. 13. §. Divi. & §. si Minor. ff. ad L. Jul. de Adult. Hof. 4. vers. 13.* Cum in Sponsalibus hodiè plenus purusque interveniat Consensus, qui solus Nuptias perficere 42  
 dicitur, *l. 30. ff. de R. J. l. 32. §. 13. ff. de Donat. inter Vir. & Ux. l. 15. ff. de Cond. & Demonstr. sc. ratione vinculi, & quoad primam suam perfectionem, quamvis quoad perfectionem secundam seu quoad consumationem adhuc sint in fieri, potentia autem actui*



43 actui proxima habetur pro actu, l. 8. §. 2. ff. de Manūmiss. & cingendus reputatur pro cincto, l. pen. ff. de Testam. Milit. Accedit, quod copula carnalis consensui jam perfecto nihil superaddat, sed tantum id, quod per mutuum Consensum promissum est, exequatur. Cui concordat textus Juris Can. C. cum initiatur. c. 27. Qu. 2. Non defloratio Virginitatis facit Conjugium, sed pactio Conjugalis: Cum jungitur puella. Conjugium est, non, cum Viri ad mixtionem adgnoscentur: Conjuges appellantur à Desponsationis fide, quamvis ignoretur adhuc inter eos Conjugalis concubitus, cum seqq.

44 XVII. Reliqua verò solennia, quæ circa Nuptias observanda, ut sunt: Proclamatio publica ex Suggestu publico, in Ecclesiam introductio & copula Sacerdotalis Matrimonii constitutionem nec de Jure Naturæ, nec divino morali ingrediuntur, cum inter Paganos quoque, Turcas, Judæos, vera Matrimonia sint, quæ ipse Apostolus non dirimenda statuit, 1. Cor. 12. quorum tamen nemo ducens Uxorem ab Ecclesia benedictionem petiturus est, sed ab Ecclesia tantum sunt introducta ad evitandum Concubinatum & Matrimonia clandestina, & quò omnia majori ordine procedant. Sic etiam Justinianus Anno 527. Nuptias omnes contrahi jussit cum Attestatione apud defensorem Ecclesiæ, Nov. 74. Cap. 4. §. 1.

45 XIX. Cum autem in Definitione Matrimonii Viri & Mulieris solummodò mentio fiat, an Polygamia simultanea excludatur & quovis Jure prohibita sit, anceps & difficilis videtur Quæstio, cum pro affirmativa urgeant aliqui, quod ab initio non institutum, neque in mundum à DEO inductum sit Matrimonium cum multis Uxoribus, cum tamen eo maximè tempore ad generis humani multiplicationem fuisset necessariū. Unam enim costam in unam Fœminam conversam. Gen. 2. v. 22. propter quam dimittet homo Patrem & Matrem, & adhærebit Uxori suæ, & erunt in carne una non tres vel plures, sed duo. Ephes. 5. vers. 13. adeoque ipsum Christum ex hac prima Institutione argumentum sumsisse, ap. Matth. 19. 8. Exulare hac ratione pacificam & tranquillam Conjugum cohabitationem, cum amor Mariti scindatur in varias partes & plerum-



rumque in æquales, *Genes. 19. Dent. 21. 15. Esth. 2. 17. Cant. 6. v. 7. & 8.* undè oriantur jurgia & rixæ. Nec obtineri posse remedium Concupiscentiæ, non modò in Mulieribus, sed etiam ipso Marito, dum copula cum una Conjugum habita alterius statim accendatur amore & in illius rapiatur Venerẽ, utut magnam naturæ inferat vim, cum nimia Venus quadragies plus exhauriat spiritus, & dissipet vires roburque corporis dissolvat, quam detractio sanguinis, dum centum guttæ sanguinis unam guttam Seminis vix æquent, secundum Arist. *Problema. Sect. 4. Qu. 18. & Sect. 3. Qu. 6.*

XIX. Alii, qui negativam defendunt, nec Polygami- 46  
am intrinsece malam esse, nec Jure Divino prohibitam asserunt, ex scripturæ dictis *Dent. 21. vers. 15. & Dent. 25. vers. 5.* ubi de Vidua Fratris ducenda agitur, & ob generalitatem textus de Fratre cælibe hoc tantum intelligi posse negant. Cum quo convenit textus *Dent. 16. & 17.* ubi Regi præscribitur, ut nec Uxorum nec Equorum nimiam sibi adsciscat copiam. Sic *2. Samuel. 12. 8.* DEUS Davidi tanquam insigne beneficium imputat, quod ei complures Uxores & quidem illustres dederit. Et Rex omnia benè egisse dicitur, quamdiu vivebat Sacerdos Jojada, cum tamen ipse Sacerdos Regi desponsaverit duas Uxores. *2. Chron. 24. vers. 2. & 3.* Rationes verò in contrarium adductas non esse perpetuas: Et quamvis quodammodò stringere videatur ex prima Institutione deducta ratio; Certum tamen esse, ibi de Adamo & Eva, qui duo tantum erant, sermonem haberi, & indigitari potius per illa verba arctissimum vinculum, quo Conjuges sibi adstringuntur. In quo sensu quoque Christum interrogatum de Divortio, cur non prolubitu concederetur revocare Phariseos ad primam Institutionem, demonstrans, ideò conjunctos esse Conjuges, non ut separentur, sed ut maneant una Caro, ideoque in dictis locis de Polygamia planè non agi. Et tandem nec absque insigni piorum Patriarcharum injuria dici posse: quod non tantum non reprehendissent Polygamiam, si contra primam Institutionem esset, sed insuper quoque à Spiritu S. illuminati ob Polygamiam in peccato, actu mortali, absque  
C poeni-



47 *pœnitentia & extra statum gratiæ in tanta tunc Naturæ ac Divini Juris ignorantia vixerint, D. Stryk. Annot. ad §. 6. Inst. de Nupt. Nostram vero Sententiam brevitatis studio ipso Discursui publico reservamus.*

48 XX. Coitus verò Damnati omnium gravissimum foedissimum & Jure Divino pariter & Humano detestabilissimum Sodomiam vocat Carpz. Pr. Crim. P. 1. Qu. 26. n. 1. utpotè à fine naturali quam maximè recedentem; in quo sexus perdit locum, ubi scelus est, quod non proficit scire, ubi Venus mutatur in alteram formam, ubi amor quaritur, nec videtur, l. 31. C. ad L. Jul. de Adult. Omnia quippè generandi Instrumenta sive in Mare sive in Fœmina generationis tantum causa sunt, cum neque ad sensum neque ad motum quicquam faciant: ergò nec uti illis organis licet, nisi generationis tantum gratia: adeoque nefas est, & contra naturam, Libidinis tantum explendæ causa usui illorum indulgere, Hahn. d. l. §. 76.

PARS POSTERIOR,  
Coitus Damnati Pœnas & Dispensationem evolvit.

C A P V T I  
D E  
Coitus Damnati Pœnis.

A R G V M E N T V M.

*Delicta esse punienda, Jus Naturæ svadere probatur, quod alias esset Lex imperfecta 1. Flagitiorum cresceret copia 2. Tandè coërceri non possent 3. Magistratum odio haberent boni, contemnerent mali 4. qui finis, cur pœnas damnato coitui dictaverint 5. quæ dividuntur in legitimas, 6. & arbitrarias, 7. qualis est Fornicationis, 8. quamvis alicubi habe-*



beatum licita, 9. & Concubinatus, 10. Stuprum cum vilioribus commissum in tantum non punitur, ut cum honestiori, 11. nec stuprum attentatum poena ordinaria afficitur. 12. Quam poena Stupro Jure Divino dictata, inquiritur, 13. & quidem alimenta semper partui à Stupratore prestanda, 14. usque ad annos discretionis, 15. nisi stuprata plures admiserit, probatur. 16. Cum Virgine Sacra commissum Stuprum punitur poena capitali, 17. uti etiam Incestus Juris Gentium, 18. aut Juris Civ. cum Adulterio, 19. & 21. reliqui verò fugiantur, aut relegantur tantum. 22. Poenam Adulterii ante L. Juliam nullam fuisse, probatur, 22. ipsa verò L. Julia relegationem tantum dictatam, apparet ex relegatis ab Augustofiliabus; 23. nisi cum ob Circumstantiam intenderetur, 24. adeoque Constantinum & Constantem adulterium primum capitaliter puniri coepisse probatur, 25. & ad contraria respondetur 26. Leo namq; abscissionem constituit, 27. castratione etiam puniti, 28. oculorum effossione, 29. aurium abscissione. 30. Hodie pro diversitate specierum Adulterii 31. variè punitur, & quidem duplicatum gladio 32. Licet Imperator hanc poenam mitigaverit in Novellis ratione Foeminarum, 33. cum Sacra Scriptura nullam Sexus diversitatem attendat, 34. & hinc in quolibet Adulterio duplicato eadem poena obtinet: 35. licet secundum Leges Civiles nunquam Adulterium committat Maritus, 36. uti variis Autoritatibus probatur, 37. ad qua etiam applicatio tertiae speciei Adulterii remittitur. 38. Respicendum tamen semper esse ad consuetudinem loci, monetur: 39. cum alicubi capitalis poena Adulterio statuta, 40. alicubi verò non. 41. Bigamiam secundum principia Juris Civilis ratione Mariti tantum poena Stupri puniendam, probatur, 42. quod tamen Const. Car. V. planè mutatum: 43. quamvis etiam Sodomie Jure Civili gladii poe-



na solum dictata, 44. bodie tamen in vivicomburium mu-  
tata; 45. adeò, ut si cum bruto commissa, & hoc ipsum  
comburendum, 46. planè ut aliquando in ipsas res inani-  
matas animadvertitur, 47. cum verò ob attentatam Sodomiam  
nec pœna capitalis locum habeat in homine, 48. nec tali casu  
brutum occidi solet, sed alio transferendum, 49. salva sem-  
per Domino brutorum Actione ex L. Aquila 50. licet ali-  
quando ob inopiam delinquentis fiat inanis 51.

POSITIO I.

- 1 CUM verò ex hætenus dictis constet, omnem Coitum ex-  
tra Matrimonium commissum ipso Jure Naturæ esse da-  
mnatum, frustra fanè damnaret Lex Naturæ, nisi etiam trans-  
gressores punire juberet, cum imperfecta ea Lex sit, quæ San-  
ctione caret & Executione. Dn. Ziegl. ad Grot. Lib. 2. Cap. 20.  
§. 1. p. m. 425. Imò si post commissa delicta delinquentes nul-  
la maneret pœna, omnium flagitiorum cresceret copia, dum  
quilibet fortè cogitaret, licet deprehensus in ipso delicto sit,  
non ideo tamen conditionem suam futuram pejorem, adeoq;  
ipsis delinquentibus incitamento essent, ut malè agere perfe-  
verent, C. 13. X. de Vit. & Honest. Cleric. & arg. l. 20. ff. de pœn. c. 4.  
3 Qu. 5. c. 23. donec ita vitiis adsveti, ut emendari amplius ne-  
queant, secundum illud Ovidii Lib. 1. de Rem. Amor.

Vidi ego, quod fuerat primo sanabile vulnus,  
Dilatam longe damna tulisse moræ.

- 4 Alios allicerent, ut illi malè agere discant, c. 2. Qu. 9. c. 35. ipsi  
Magistratui & odium à bonis, & contemptum à semetipsis con-  
ciliarent. Non minus enim noxia est populo nimia Cle-  
mentia, quam Crudelitas, & gravius interdum impunitate &  
indulgentia peccatur, quam ipso delicto, secundum Saavedr.  
Symb. Pol. 22.

II. Quæ mala proindè, ut evitarentur, Coitui damnato  
pœnas dictaverunt Superiores, quæ Delinquentibus emenda-  
tioni, c. 5. vers. Præmissis. de Pœn. in 6. l. un. C. de Emend. Propinqu.  
d. 6. 4. Qu. 5. c. 23. Magistratui præsidio & aliis Exemplo essent,

Dein.



*Deut. 17. vers. 13. & 19. vers. 20. Proverb. 19. vers. 25. Ezech. 23. vers. 48. l. 31. pr. ff. De pos. l. 1. C. ad L. Jul. Repet. l. 16. §. fin. ff. de Pœn. l. 4. C. si Serv. Export. ven. c. 21. Qu. 1. c. 24.* Rectissime enim Cicero *Lib. 1. Off. pœnis utimur contra delinquentes, nè quid post hac committant ipsi, cæteri verò sint ad delinquendum tardiores, L. 6. §. 1. ff. de Pœn. minuatur improborum numerus, & metus & terror aliis paulatim incutiatur, Nov. 17. Cap. 5. Deut. 19. vers. 20.*

III. Dividuntur autem in legitimas & arbitrarias, quod 6  
 pœna legitima, certo peculiareque nomen sortito Crimini, in  
 Legibus expressè præscripta & imposita, uno verbo dicta or-  
 dinaria, quam temere suo arbitrio Judicem mutare non posse,  
 certissimi Juris est, vid. Dn. Ziegl. *in Dicast. Concl. 36. §. 42.* Pœ- 7  
 na verò arbitraria oppositivè ad pœnam certo Jure determina-  
 tam dicitur, non ut sit in Judicis arbitrio, pœnam infligere,  
 vel non, aut quamvis ex cerebrino suo fingere sibi arbitrio, sed  
 quod Judex, ubi nulla certa pœna Legibus statuta vel con-  
 suetudine est introducta, possit pœnam arbitrari, secundum  
 qualitatem perpetrati Delicti, & prout rectæ rationi est con-  
 sentaneum, modò leviolem, modò graviolem, ita ut etiam  
 ad mortis pœnam, pro ratione Circumstantiarum, qualitate  
 Criminis ac conditione personæ devenire possit, uti id ipsum  
 asserit Carpzov. *Pr. Crim. P. 3. Qu. 133. n. 29. & seqq.*

IV. Arbitrariè punitur fornicationis simplicis Delictum, 8  
 quamvis multis in locis, & ipsi Romani Pontifices in urbe, 9  
 Sanctæ sedis publica foveant & permittant Lupanaria: undè  
 in Fiscum suum annuatim ultra triginta millia Corona-  
 torum pro lactis censu, quem vulgò appellitant, *Milchzins*  
*oder Hurenzoll* à Clero scortisque accipiunt, sicut refert Carpz.  
*de L. Regia. Cap. 8. Sect. 2. n. 6. Pract. Crim. Part. 2. Qu. 70. n. 7. 8. 9.*

V. Sublato ab Imperatore Leone Concubinato, *Nov. 9.* 10  
 tanquam re turpissima suoque Imperio indigna, add. *Recess.*  
*Imp. de Anno 1530. Reformatio Pol. Imperii, tit. von leichtfertigen*  
*Beywohnungen* / pariter ut fornicatio arbitrariè punitur, vi-  
 delicet secundum Statuta & Consuetudines locorum, ubi hu-  
 jusmodi Delictum committitur, de quo vid. Carpz. *d. l. n. 14.*



nec non Dedeken. *Consil. Vol. 61. von Gebrauch des Bind- und Löseschlüssels / n. 11.*

VI. Cum in vilibus & corruptis Stuprum non committatur, l. 29. C. ad L. Jul. de Adult. ibique Godofr. sed tantum in Virginibus & Viduis honestis, quæ Virginitas & Honestas semper præsumitur, adeò ut Stuprator contrarium asseverans secundum communia principia onere probandi gravetur; nec Stupri pœna in iis locum habebit, vid. l. 13. §. 2. ff. d. t. aut ad minimum non eadem, vid. §. 4. Inst. de Publ. Jud. l. 1. §. 2. ff. de Extraord. Crim. nisi hos textus de speciali casu Stupri scil. violenti aut Raptus quis intelligere velit, vid. Berlich. Tom. 5. Conclus. 38. n. 2. Menoch. de Arbitr. Jud. Quæst. Lib. 2. Cas. 288. quos Casus semper pœna capitalis sequitur, per Const. Crim. Art. 119. l. un. §. 2. C. de Rapt. Virg. si Delicta fuerint consummata, dict. Const. Crim. 119. & arg. d. l. un. ibi: post legitimas Jurisque cognitæ probationes. Attentatum verò Stuprum, quatenus in nudis sollicitationis terminis consistit, extraordinariè tantum puniri solet, l. 1. pr. ff. de Extraord. Crim. salva tamen insuper quoque pœna ordinaria, videlicet Injuriarum, per l. 9. §. si quis l. 15. §. si quis Virgines. ff. de Injur. & §. 1. Inst. eod. ibique Schneidwin.

VII. Jure Divino & Canonico Stuprator vitiatam & ducat & dotet, Exod. 22. vers. 16. Deut. 22. vers. 28. & seqq. C. 1. & 2. X. de Adult. ita ut propter vim & naturam particulæ copulativæ ad utrumque obligetur, nisi in praxi Copula Et resolveretur in alternativam, si sc. stuprata ipsa nulla stupratori ad committendum stuprum dedit occasionem, aut post deflorationem ab alio fuit cognita, aut Stuprator fidem dedit de Matrimonio. Semper autem ex stupro Fœmina prægnante, partui alimenta præstanda à Stupratore, l. 9. C. de Patr. Potest. cum natura inter liberos non faciat differentiam, nisi jam sibi ipsi alimenta operis suis acquirere queat, Dn. Carpz. P. 2. C. 10. D. 18. & Berlich. P. 5. Concl. 381. n. 42. & seqq. aut stuprata more meretricio plures admiserit, conf. D. Brunn. Rep. Paratil. Wesenb. ad ff. h. t. Qu. 42. cum seqq. & Coll. Argent. d. t. §. 25.

VIII. Cum statuatur pœna capitalis in eum, qui non tantum rapuit, sed attentavit etiam Matrimonii causa Virgines



nes sacras, l. 5. C. de Episc. & Cler. nisi pœnitentia ductus spontè  
 à Conatu resilierit, arg. l. 19. ff. ad L. Corn. de Fals. & noluerit eas  
 cognoscere, cum potuisset, Brunn. in Comm. ad d. l. 5. n. 4. mul-  
 tò magis ob fornicationem aut stuprum locum habebit pœna  
 capitalis. per Nov. 123. Cap. 43. & c. si quis rapuerit. c. 27. Qu. 1.  
 Add. Nov. 123. Cap. 29.

IX. Ultimo supplicio etiam ii afficiuntur, qui Incestum 18  
 Juris Gentium seu Coitum nefarium cum descendantibus &  
 ascendentibus, vid. Berlich. Tom. 4. Concl. 32. n. 13. aut Incestum 19  
 Juris Civilis cum adulterio committunt. Quod si enim in- 20  
 cestuosi Collaterales aut Affines utrinque & etiam soluti  
 pœna capitali afficiendi forent, ut vult Menoch. de A. J. Q.  
 Cas. 502. n. 14. cum seq. & n. 31. 34. Coler. P. 2. Decis. 234. n. 8. Boër.  
 Dec. 318. n. 3. sub. fin. nulla esset differentia inter Incestum ab ascen-  
 dentibus & decendentibus, & inter Incestum à collateralibus  
 commissum, contra l. 38. §. 1. & 2. ff. ad L. Jul. de Adult. Hinc fustiga-  
 tionis & deportationis pœna puniendos eos esse alii rectè sen-  
 tire videntur, Berlich. d. Concl. 32. n. 5. Cothm. Vol. 3. Resp. 48. n.  
 43. Coitum incestuosum verò à Conjugatis commissum pœ- 21  
 na mortis sequitur. Cum enim pœna Adulterii hodiè sit ca-  
 pitalis, l. 32. in fin. C. ad L. Jul. de Adult. Nov. 134. Cap. 10. multò  
 magis capitalis erit, si Incestus concurrat, Steph. in Not. ad Const.  
 Crim. Art. 117.

X. Notanter autem dico, hodiè pœnam Adulterii demum 22  
 capitale obtinere, cum quoad Jus Civ. Adulterii non semper  
 una eademque fuerit pœna. Nam ante Legem Juliam latam,  
 nullam certam pœnam Adulterio destinata fuisse, constat  
 ex Sueton. in Tiberio. Cap. 35. Tacit. Annal. L. 2. sed impudica-  
 rum Mulierum coërcitionem propinqui ac necessarii habe-  
 bant, qui in eas pro arbitrio statuebant, Liv. Lib. 10.

XI. Quamvis autem optimus Princeps Augustus, qui 23  
 per adoptionem quoque Julius fuit, undè Lex nostra nomen  
 accepit, à toto Imperio corruptelas Matrimonii arcere cona-  
 retur, tamen in domo sua eas deprehendit, cum Julia utraque  
 tanti Principis filia & neptis certatim quasi Adulteriis incum-  
 berent, etiam in ipso foro noctu & eo in loco, ubi pater hanc  
 Legem



Legem Juliam de Adulteriis tulerat, Senec. de Benef. Lib. 6. Cap. 32. donec flagitiis sibi compertis Augustus illam quidem in Pandaneriam Insulam Campaniæ vicinam relegaret, ubi etiam post quatuordecim annorum exilium mortua est, ut refert ex Tacit. Lib. 1. Annal. Schneidwin. in Repet. Legis Transigere Cap. 6. n. 15. Hanc verò Adulterii damnatam in Insulam Trimeram haud procul Apulis mitteret, Schneidwin. d. l. n. 16.

24 XII. Undè apparet, nec hujus Legis pœnam ab initio fuisse capitalem, nisi cum ob Circumstantias intenderetur, Lips. ad Lib. 4. Tacit. ut in militibus, quos ab omni libidine puros servari castrorum disciplina postulat, vid l. 2. §. Milites. ff. qui not. infam. l. 4. §. Adulteriis. ff. de re Mil. & Coll. Arg. Lib. 48. Tit. 5. § 17. adeoque tantum infamiæ, aut amittendæ Dotis, aut certa relegationis pœna communiter obtinebat, l. 5. ff. de Quæst. l. 6. ff. de Divort. Nam si pœna capitalis Legis Juliæ fuisset, ineptè vetuisset damnatam Adulterii in Uxorem ducere, l. 43. §. 10. ff. de R. N. aut Testimonium dicere, l. qui testamento. §. mulier. ff. qui test. fac. poss. l. 29. ff. ad L. 7. de Adult. l. Ex coff. de Testib.

25 XIII. Post Augustum verò Constantinus & Constans primum Adulterium capitaliter punire cœperunt, l. 30. §. 1. C. ad  
26 L. Jul. de Adult. Add. §. 4. Inst. de Publ. Jud. qui obstare videri posset, nec non ad varias Instantias in contrarium petendas ex Valer. Max. Livio Juvenal. Virgil. eleganter respondet Colleg. Argent. d. l. sc. Justinianum pœnam capitalem tantum reiterasse in §. 4. Inst. de Publ. Jud. ut jam Lex Julia ex Reformatione, non ex prima latione sua pœnam gladii minetur Adulteris, & plus hic legum universalium, quam Historiarum singularium tribuendum esse Autoritati, cum historiæ contineant quæstionem facti, quod ob varietatem Circumstantiarum variationem pœnæ admittere potuit.

27 XIV. Post Justinianum Leo Imperator constituit, ut Adultero & Adulteræ nasus abscinderetur, Nov. Ej. 32. ut hinc rideat eundem in Marito quodam Martialis his verbis:

*Quis tibi persuasit nares abscindere Mecho,  
Nil hac peccatum est parte, Marite, tibi.*

Sic



Sic etiam castratione Adulteros affecerunt secundum Horat. 28  
Lib. 1. Satyr. 2.

Quin & illud

Accidit, ut cuidam testes, caudamque salvam

Demeteret ferrum.

Aut Oculorum effossione, quam sanxit Zaleucus, eamque 29  
primus post sanctionem applicavit Filio, Cœl. Rhod. Lect. 30  
Antiqu. Lib. 11. Cap. 79. aurium quoque abscissione, cujus ratio-  
nem reddit Reinking. d. R. S. & E. Lib. 2. Class. 1. Cap. 8. n. 7.

XV. Hodie tres Adulterii species constituunt, primo: 31  
Inter conjugatum & foeminam nuptam. Secundo: Inter virum  
conjugatum & mulierem solutam. Tertio: Inter virum solu-  
tam & mulierem conjugatam, & hinc quoque pro diversis A-  
dulterii speciebus diversam minantur poenam. Inter utrinq;  
conjugatos commissum Adulterium sublatis hodie per l. 30. C. 32  
ad L. Jul. de Adult. §. 4. Inst. de Publ. Jud. & l. 18. C. de Transact.  
omnibus discordiis poena gladii afficitur. Quamvis autem 33  
Justinianus Imp. Jure novissimo poenam capitalem remi-  
serit, Auth. sed hodie C. ad L. Jul. de Adult. quæ desumpta est ex  
Nov. 134. Cap. 10. & 12. cum ob infirmitatem & fragilitatem se-  
xus facilius in Adulterii crimen prolabatur Mulier, quam Ma-  
sculus, & hinc ob spem emendationis virgis cæfas & rasas in  
Monasterium mittendas censeret; moribus tamen non atten-  
to personarum respectu sive Mas sit, sive Fæmina, capite ple-  
ctuntur, cum Sacra Scriptura Differentiam sexus hac in parte 34  
omninò respuat, & impudicitiam Mulierum non minus coër-  
ceat, quam Virorum, Exod. 20. Deut. 22. Levit. 20. vers. 10. Ezech. 16.  
vers. 38. nè dicam, Virum & Uxorem non debere ad imparia ju-  
dicari, & quod in correlativis sit eadem Dispositio, c. in conju-  
gio. c. 32. Qu. 1. l. 1. C. de Cupress. lib. 11.

XVI. Ex qua ratione neque in secunda supra allata Adul- 35  
terii specie poenam Adulterii evitare poterit Maritus, quod se-  
cundum Leges Civiles Adulterium nunquam committatur, 36  
respectu Viri, utpotè, quod in nupta tantum committitur,  
propter partum ex altero conceptum, secundum Papinianum  
l. 6. §. 1. ff. ad L. Jul. de Adult. Add. Berlich. P. 4. Conclus. 27. n. 48.

D

quia





quia Maritus rem habens cum Virgine vel Vidua alterius thorum, ( qui ut Domicilium soli Viro adscribitur, *l. mulierem. ff. de R. N. l. 6. C. de Don. ante Nupt.* ) non ascendit, nec Matrem fam. corrumpit, ut ait Triphon. in *l. 225. ff. de V. S.* nec partum ex altero conceptum supponit, undè Papinianus in *d. l. 6.*  
 37 Adulterium deducit. Quod si enim Jus Divinum, primam Conjugii institutionem, vinculum & fidem Conjugii intuear, omninò Adulterium est, cum Maritus cum soluta rem habuit, *Gen. 1. vers. 27. Gen. 2. vers. 24. Matth. 19. vers. 5. 1. ad Corinth. 6. vers. 15. 16. 1. Corinth. 7. vers. 3. c. Dixit. c. 32. qu. 4. c. non mœchaberis. c. 32. qu. 6.* separat enim carnem à DEO conjunctam, Augustin. de Bon. Conjug. *Lib. 2. & Lactant. Lib. 6. Cap. 23.*

38 XVII. Ex quibus nunc facilè colligere licet, quid de pœna tertiæ speciei Adulterii sentiendum. Sed ut in genere in  
 39 puniendis Delictis consuetudo loci attendenda; ita etiam in puncto Adulterii, cum constet, plerisque in locis Statutis municipalibus, vel usu vel constitutionibus superiorum Judicum non pœna capitali, sed pœcuniariâ tantum, vel aliâ extraordinariâ & arbitraria affici, vid. Menoch. *A. J. Q. L. 2. Cent. 5. Cas. 419. n. 74. & seqq. Berlich. P. 4. Concl. 27. n. 21.* Jure verò Elect.  
 40 Saxon. & moribus quorundam aliorum locorum, etiam propter secundum & tertium genus Adulterii pœna gladii dicitur Marito, & fustigatio Fœminæ solutæ, & vice versa, *Const. Elect. 19. P. 4. ibique Carpz.*

41 XIX. Si quis Maritus vel Uxor altero Conjuge adhuc  
 42 superstitite, aliam Uxorem vel alium Maritum superinduxerit, Jus Civile magis pro Stupro, quam Adulterio hanc Polygamiam habere videtur, *l. 18. C. ad L. Jul. de Adult.* Quare & Stupri pœnâ, *h. e.* fustigatione illam puniri plerique arbitrantur, quorum nonnullos recenset *Wesemb. Paratit. ad ff. d. 1. num. 8.* Nec Jure novo hoc correctum, licet hoc statuatur *Carpzov. Qu. 66. n. 24. per Auth. hodiè. C. de Repud. & Nov. 117. Cap. 11.* cum hi textus de bigama Uxore tantum loquantur, bigamus verò tantum Stuprum committit, ut præter modò allegatam *l. 18. & ipse Articulus 121. Const. Crim. Carol. V.* expressè fatetur per  
 ver-



verba : Und wiewol die Keyserlichen Rechte auf solche Ubelthat keine Straffe am Leben setzen. quo ipso textu de- 43  
 mum Jus Civile in tantum mutatum, ut nec locum inveniat distinctio Wefenbecii, quam d. l. affert, ut teneatur demum capitali pœna bigamus, si superinduxerit itidem conjugatam, non verò si solutam, uti solidè hæc demonstrat pluribus Hahn. in *Observ. ad Wefenb. Paratitl. d. t. num. 8.* Add. Brunn. in *Comm. ad d. l. 18. C. de Adult.*

XIX. Crimen Sodomix, cum involvat Coitum nefan- 44  
 dum planè & maximè damnatum, non immeritò pœna capitalis sequitur, & quidem pœna gladii, vid. l. 31. C. ad l. Jul. de *Adult. §. 4. Inst. Eod. Nov. 77. pr. Nov. 141. Item c. Adulterii. c. Offerebat. c. Flagitia &c. C. Usus. c. 32. qu. 7. juncto. c. 4. X. de Excess. Prælat.* quæ hodiè exasperata, *Const. Crim. Art. 116.* & mutata in 45  
 vivicomburium, sive cum hominibus, veluti Mas cum Mare, aut fœmina cum fœmina, sive cum animantibus brutis commissus fuerit. Conf. Carpz. *Prax. Crim. Quest. 76. n. 21.* quo 46  
 casu & ipsum brutum comburisolet, ut memoria criminis penitus deleatur, nè horrendi facti memoria ante oculos hominum versetur, recordationeque sceleris aliis suggerat maleficii perpetrandi notitiam, c. 4. c. 25. qu. 1. Add. Carpz. *Pr. Crim. Part. 3. Quest. 131. n. 16.* pari modo sicut quandoque in res inanimatas animadvertitur, uti domus dirui jubent Leges, in 47  
 quibus crimina admissa sunt, in exemplarem & graviolem pœnam ac detestationem delicti, l. 1. C. de *Fals. Monet. Damhoud. P. 2. Rer. Crim. Cap. 65. n. 9.*

XX. Quando verò attentatum tantum fuit crimen, & 48  
 immissio ipsa Seminis probari nequit, non solet pœna ignis, sed alia arbitraria pœna pro modo attentati consummationi proximè accedentis dictari, e. g. Fustigatio, Damnatio in metallum, &c. Nec tali casu brutum solet occidi, sed ut sceleris 49  
 memoria pereat, extra locum istius Jurisdictionis, in alium locum defertur. Ex quibus sequitur, quod, si plura bruta sint, quibuscum homo commisit hoc crimen & consummavit, omnia debeant extingvi. Nè verò Dominus istarum pe- 50  
 cudum grave damnum incurrat, paratam habet Actionem Le-



gis Aquilæ ad damnum repetendum, ex hereditate puniti  
 hominis, quantum inde desumi potest, alias pro fatali damno  
 hæc omnia reputaturus, Magnif. D. Rhet. in Lect. Publ. ad Const.  
 Crim. Carl. V. d. Art. 117. ad verba: Von Leben zum Tode  
 sichten.

C A P I T U L U M II.

De

Coitus Damnati Dispensa-  
 tione.

A R G V M E N T U M

Cum Principi conveniat Clementia 1. merito Jus stric-  
 tum aliquando mitigandum asseritur 2. adeoque & Coitus  
 Damnatus, licet in se & semper malus 3. non obstante, quod  
 à quibusdam Gentibus aliquando 4. imprimis in bello per-  
 missus 5. semper quidem puniendus 6. mitius tamen quan-  
 doque 7. cum ob circumstantias concurrentes interdum in  
 ipsius Juris Natura preceptis dispensetur 8. quæ circum-  
 stantia recensentur 9. Pœnas J. Natura firmandi causa à  
 Jure Civ. inventas asseritur 10. & quidem magis Societatis  
 humana gratia, quam delinquentis 11. hinc exasperanda  
 aliquando 12. aliquando verò remittenda 13. cum nec ea-  
 dem ubique turpia à honestia habeantur 14. & pro genio  
 Populi ob salutem Reipbl. aliquando indulgendum 15. ve-  
 luti ex concessione Lupanariorum & Concubinatus apparet  
 16. ipsis quidem Judæorum Matrimonii melioris 17. in-  
 honesti tamen 18. adeoque ob salutem Reipubl. quidem per-  
 missibilis 19. ob conscientiam tamen non exercendi 20. cum  
 Principis Dispensatio circa Leges Civiles facta tantum se-



curum reddat 21. prout variis Auctoritatibus probatur  
 22. sic quoque cum incestus Juris Gent. crimen capitale sit 23.  
 Et contra Jus Nature 24. ejus poena mitigari vix potest  
 25. nisi justa ignorantia possit allegari 26. cujusmodi nota-  
 bile Exemplum communicatur remissive 27. Vice versa in  
 secundo gradu linea equalis, aut tertio gradu linea ina-  
 qualis, valida erit Dispensatio 28. cum nulla hoc casu Ju-  
 ris Divini prohibitio 29. sed potius exempla ex Sacris bi-  
 bliis adsint in contrarium 30. suffragante quoque Jure com-  
 muni 31. Quae pariter quoque in affinitate obtinere 32. Et  
 gradibus ulterioribus probatur 33. Quid genera affinita-  
 tis sint, explicatur 34. atque in secundo Et tertio genere per-  
 missum esse Matrimonium, probatur ex Jure Can. 35. Et  
 Praejudiciis 36. quamvis dissuadendum, si res adhuc inte-  
 gra 37. re autem non amplius integra omnino conceden-  
 dum, probatur 38. Nec minus quoque defuncta Sponsa foro-  
 rem in Matrimonium ambiens dispensationem habere po-  
 terit, 39. praestito tamen aliquando prius Juramento pur-  
 gationis 40. Et alias quoque in hac Dispensatione caute pro-  
 cedendum, monetur 41. Gravitas delicti adulterii demon-  
 stratur 42. Et hinc de poena ejus dispensatione dubitatur  
 43. quamvis locum hodie invenire soleat ob intercessionem  
 Conjugis innocentis 44. sive tacitam, sive expressam 45.  
 relegata tamen parte nocente, Et parte innocente secuta,  
 ob interesse publicum 46. Neque intercessionem conjugis in-  
 nocentis adultero corruptori prodesse contra Carpzovium  
 47. probatur 48. Insuper, licet desponsata habeantur pro  
 conjugibus 49. Jure Civ. 50. Et Divino 51. Jure tamen ta-  
 men Sax. poenam adulterii cum desponsata commisi miti-  
 gata 52. ac mutata in fustigationem Et perpetuam relega-  
 tionem 53. Et 54. Sic quoque ordinaria poena remitti solet si



conjug adulterata jam fuerit meretrix 55. cujus assertionis fundamentum demonstratur 56. Et ulterius declaratur 57. Idem interveniente malitiosa desertione obtinere dicitur 58. respectu habito, annon altera pars causam dederit, quò liberius scortetur 59. aut facilius à Conjuge solvatur 60. deniq; dispensationem quoq; svadere solet error in persona, quam adulter putavit innuptam 61. aut vice versa Conjugem, cum esset innupta, vel Uxor propria 62. quod illustratur exemplo 63. cum Judex seculi non ut Judex poli cogitationes attendat 64. Et 65. adeoq; tale adulterium ut attentatum extraordinariè tantum punit 66. Idem quoq; in bigamia, licet casu inverso, asseritur 67. modò probare possint contrahentes, quod omnia ex justo errore, non verò dolo egerint 68. ratione quoq; habita, an ex justa causa absit Conjug 69. non verò malitiosè 70. Quod autem de Sodomia planè negatur 71. cum seqq. Et concluditur.

POSITIO I.

- 1 CUM autem secundum Justinianum nihil tam peculiare Imperialis Majestatis, quam clementia & humanitas, per quam solam DEI servatur imitatio, l. ult. C. de Donat. inter vir.
- 2 Et ux. & l. 23. pr. C. de Nupt. pro rerum, temporis & personæ circumstantiis, atque varietate stricti Juris rationem mitigare, & ad misericordiam potius, quam ad severitatem deflectere poterit, R. A. zu Speyer de Anno 1526. §. Es soll sich auch eine iede Obrigkeit gegen denen / so der Bäurischen Auffruhr halben ausgetreten / nach Gelegenheit eines ieden Verhandlung dermassen erzeigen / damit die Unterthanen / so viel sich die immer leiden will / mehr Gnad und Gürtigkeit / den die Scharff- und Ungnade spüren und finden mögen.
- 3 II. Et quamvis Coitus extra Matrimonium commissus in tantum damnatus, ut nulla Exceptio sive personarum, sive tem-



temporis, si vè aliarum Circumstantiarum admitti debeat, non enim, sicut in quibusdam Casibus licet occidere, vid. Grot. de J. B. & P. L. 1. C. 2. §. 5. Lib. 2. C. 1. §. 3. & Lib. 3. C. 4. §. 3. ita in quibusdam scortari aut adulterium committere licet, ut loquitur Arist. Lib. 2. Eth. Cap. 6. in talibus rectè aut non rectè faciendi vis in eo posita est, ut, quatenus & quo tempore & quomodo adulterium facere oporteat, animadvertatur, sed simpliciter & absolutè quidvis horum admittere, peccare est. Ex quo fonte errorem Michaëlis Ephesii profluxisse dicit, 4  
 Grot. de J. B. & P. Lib. 3. Cap. 19. §. 2. qui ad quintum Nicomachorum inquit, in tyranni Uxorem adulterium non committi, & hoc ipsum pari errore quosdam Judæorum Magistros de alienigenis statuisse. Sic etiam supra in bellis passim permissa legere licet, cum spectarent aliqui solam Injuriam in alienum corpus, cui subjacere quicquid hostile est, Juri armorum non in congruens judicantes, Grot. d. l. cap. 4. §. ult. ubi verò Grotius ipse statim hæc simul refutat, quod sc. non solum Injuria, sed ipse efferatæ libidinis actus hic considerandus, & quod is neque ad securitatem pertineat, neque ad pœnam, ac 6  
 proindè non bello magis, quam pace impunitus esse debeat. III. Poterit tamen quandoque Princeps accedente legitima causa mitius quid statuere, impunitatem delicti commisso Reo concedere, vel ordinariam pœnam in extraordinariam convertere, modò cautè & circumspectè agat, & imprimis consideret, num delictum commissum Lege Divina sit capitale, & num circumstantiæ adsint urgentes, propter quas pœnam remittere vel mitigare possit. Nonnunquam enim causa quædam concurrere possunt, in quibus, quod ex Lege & Jure Divino prorsus est capitale, ex circumstantiis facto & delicto accidentibus ita leve efficitur, ut capitaliter puniri planè non possit. Quas circumstantias Dd. communiter ratione 9  
 causæ, an sc. consultò quid perpetratum, ratione personæ, loci; temporis, qualitatis delicti, ejusdem quantitatis & eventus dividere solent, veluti in subsequentiis ulterius apparebit. IV. Sciendum autem in antecessum, quod, quemadmodum 10



cum ob servandam inter homines societatem præcipuis Natu-  
 ræ legibus, cum neq; quantitatem neq; qualitatem pœnæ defi-  
 niant, in cunctis fere Civitatibus vis Legum civilium fuerit dan-  
 da, ut etiam metu violentiæ humanæ ad eas servandas adigi  
 possent, quibus alias reverentia Numinis parum efficax stimu-  
 lus faciendo officio erat futurus, ita ut omnis quoque pœna  
 in foro humano ad eundem scopum collimare debeat. Ut  
 11 hinc propriè pœna non delinquenti debeat, tanquam ali-  
 + quid, quod non rectè ipsi possit denegari, (nisi forsan quate-  
 nus ipse indè emendandus est,) sed Societati, quæ isthac im-  
 punitate, aut maligna pœnæ dispensatione turbaretur. Undè  
 12 apparet ratio triti istius: Crescentibus delictis exasperandæ  
 13 sunt pœnæ. Sicut contra, ubi vitium aliquod in mores abiit,  
 ut propter delinquentium multitudinem pœnæ exigendæ lo-  
 cus non restet, nisi per supplicia Civitatem prorsus exhaurire  
 velis, aut evertere, Reipubl. necessitas pœnas remittere jubet,  
 præsertim, cum nullo alio respectu necesse sit, hominem ab  
 homine pœnam ob quodvis delictum sumere, nisi, ut Societas  
 humana fervetur.

V. Et hæc ratio est, cur non omnibus eadem dicantur  
 14 honestia atque turpia, sed quæ apud alios sunt decora, apud  
 nos partim infamia, partim humilia atque ab honestate remo-  
 ta putantur, vid. Cornel. Nep. in *Præf.* & Tacit. *L. 2. Annal.*  
 Hinc Tiberius ad P. C. super querela proposita de luxu coër-  
 cendo civitatis Romæ: *Quod si mecum, Viri strenui, Aediles confi-*  
 15 *lium habuissent, nescio an suavissimus fuerim, omittere potius prævalida*  
*& adulta vitia, quam hoc adsequi, ut palam fieret, quibus flagitiis im-*  
*pares essemus.* Tacit. *Lib. 3. Annal.* Maximè namque in Legibus  
 præscribendis subditis, Princeps quidem respiciendum habet,  
 15 quid conveniat Juri Naturæ, & fieri oporteat, sed cum corru-  
 pta humani generis indoles capax amplius non videatur, ut  
 actiones ejusdem Justitiæ universalis postulatis conformes  
 reddat, & per consequens Respubl. ad ductum Justitiæ uni-  
 versalis exactè gubernari possit, indulgendum potius aliquid  
 est à Principe vel Legislatore, ut majoribus malis hac ratione  
 obviam iri possit, D. Stryk. *Not. ad pr. Inst. de J. & J.*



VI. Undè fuit moralitas dispensationis Lupanariorum 16  
 & Concubinatus. Cum enim non tantum apud Afros & Græ-  
 cos nulla amplius Civitatis pars superesset, quæ non plena for-  
 dibus, nulla intra Urbem platea, semita, quæ non lupanar, adeò  
 omnia penè compita, omnes vias, quasi in foveas libidinū mu-  
 tassent, aut quasi retia prætexuissent, prout de nefandissimis il-  
 lis moribus conquerit Salvianus *Lib. 7. de Div. Provid.* sed etiam  
 apud Romanos in multorum honestorum Virorum prædiis  
 Lupanaria exercerentur, quò facilius à promiscuo & infinito  
 fornicationis coitu abstinerent, concedebant Concubinatum, 17  
 non tantum fornicatione, sed etiam ipso Judæorum matrimo-  
 nio meliorem, cum in cōcubinato una tantum, & quidem extra  
 matrimonium concederetur, apud Judæos autem plures in  
 matrimonio permetterentur, vid. Dn. Ziegl. ad Grot. *Lib. 2.*  
*Cap. 5. §. 15.* Quamvis autem & ipse Concubinatus contrarietur  
 honestati, quia tamen Salus publica ejus svasit permissionem, 18  
 secundum Justitiam particularem toleratus fuit, cum intem-  
 pestiva remedia delicta accendere soleant, non tollere, secun-  
 dum illud Taciti *Libr. 12. Annal. Cap. 54.* nec tam medicina pa-  
 raretur, quam clades & strues cadaverum fieret, vid. Tacit. *L. 1.*  
*Annal. Cap. 49.*

VII. Et hinc probè distingvendum inter Actum pro- 19  
 prium & alteri tantum permissum: Qui enim aliquid permit-  
 tit seu tolerat, illud non prohibet, quia non potest, quia metu  
 majorum malorum impeditur, & eapropter Reimpl. in casum  
 dare non decet. Adeoque permissio non est Actio, sed Actio-  
 nis potius negatio, nec Jus alicui concedit, Actiones morali-  
 ter illicitas omninò licitè exercendi, nec efficit, ut ille Actus 20  
 non sit contra Jus Naturæ, aut extra pœnæ divinitus immi-  
 nentis metum, sed impunitatem tantum præstat, Actum verò  
 ipsum in genere justorum non constituit, vel eundem appro-  
 bat svasetque, sed potius circumscribit, limitat & restringit.  
 Nam trita & in æquitate pariter naturali fundata est Regula:  
 Inferiorem non posse derogare vel abrogare legem superioris,  
*c. 4. X. de Usur. l. 4. ff. de Recept. qui arb. recep.* Qui verò homini  
 hoc concesseris, ut ipse DEI Cratoris sui statutis contravenire

E

pos-



possit, *Deut. 4. vers. 2.* Maximè quod ad observationem divina-  
rum legum conscientia ratione obstrictus sit quilibet, etsi in  
universo hoc terrarum globo superiorem recognoscat nemi-  
nem, vid. *Deut. 27. vers. ult. & Cap. 5. vers. 32. Paul. ad Galat. 3.  
vers. 10.*

21 VIII. Qua propter generalis notanda est Regula: Quod  
dispensatio tantum in coitu legibus civilibus damnato locum  
inveniat, quatenus Juri Divino aliquid superaddunt, c. 20. &  
22 *seqq. c. 35. qv. 3. c. 1. c. 35. qv. 8.* Quò facit imprimis c. 2. *dist. 10.* Ubi  
traditur, non licere Imperatori aliquid contra divina mandata  
præsumere, nec quicquam, quod Evangelicis, Propheticis aut  
Apostolicis regulis obviet, agere. Cui consentaneum est il-  
lud Ambrosii: *Nolite gravare, Imperator, ut putes te in ea, que di-  
vina sunt, imperiale aliquod Jus habere: Nolite extollere, sed si vis di-  
vinius imperare, esto DEO subditus, in Epist. 33. ad Marcellin. Soror. c.  
conveniens. c. 23. qv. 8.*

23 IX. Hinc cum Incestus crimen Jure Divino expressè sit  
prohibitum, & eo etiam Jure inter ascendentes maximè & des-  
cendentes commissum capitale, *Levit. 20. vers. 22.* quod jam  
24 suo tempore agnovit Ovid. dum ita canit *Lib. 10. Metamorph.*

*Ultra autem sperare aliquid potes impia Virgo?  
Nec quod confundas & Jura, & nomina sentis,  
Tunc eris & Matris pellex, & adultera Patris,  
Tunc Soror nati, generisq; vocabere Fratris,  
Nec metues sacra crinitas angve Sorores,  
Quas facibus sevis oculos atq; ora potentes  
Noxia corda vident? At tu dum corpore non es  
Passa nefas, animo nè concipe: nèvè potentis  
Concubitu vetito Natura pollue fœdus.*

25 Indubitato constat, quod ratione incestus nulla dispensatio  
26 obtinere queat, nisi relevantes maximè circumstantia con-  
currant, ut si subsit ignorantia, & sub figura matrimonii com-  
27 mittatur, *arg. l. fin. ff. de R. N. cujusmodi valdè notabile Exem-  
plum suppeditat D. Müll. Præs. Dom. Illustr. Cap. 4. Pos. 4.*

28 X. Licet autem de Jure moderno & provinciali Nuptia  
ni-



inter Confangvineos usq; ad secundum gradum lineæ æqua-  
lis & tertium inæqualis sint prohibita, attamen quia hæc pro-  
hibitio in solo Jure positivo & municipali est fundata, propter  
probabilem aliquam rationem dispensationi locus datur, mo-  
dò non subsit respectus Parentum & Liberorum. Cum nul- 29  
la Juris Divini sanctio, nec sententia, nec ratio matrimonio  
consobrinorum & patruelium obstet, *Lev. 18. & 20.* quin po-  
tius Moses & Josua hujusmodi Nuptias concesserunt & ap- 30  
probarunt, ut de Mose legitur *Num. ult. Josue 15. & Jud. 1.* Nec 31  
non hoc in casu res ad Jus Comm. tantum redigitur, quo tale  
matrimonium expresse permissum, *J. 4. Inst. de Nupt. l. 67. §. 1.*  
*ff. de R. N. l. 19. C. de Nupt.*

XI. Quæ pariter quoque in Affinitate obtinere ex eo sa- 32  
tis apparet, quod Maritus per matrimonium fiat una caro, ut  
sic eodem vinculo cognatis Uxoris jungatur. Nam in Affi-  
nitate una eademque graduum est computatio, eadem quoque  
erit prohibitio matrimonii, *Schneidw. ad tit. Inst. de Nupt. Rubr.*  
*de Arb. Affin. n. 9.* Et cum jam certum sit, quod dispensatio 33  
obtineat in gradu Confangvinitatis secundo lineæ æqualis,  
procul dubio obtinebit in gradu tertio & quarto lineæ inæqua-  
lis, cum ipsa naturalis ratio svadeat, quod in gradu proximio-  
re tanta non sit proximitas sanguinis, quæ in gradu propin-  
quiore.

XII. Cæterum cum circa materiam Computationis non 34  
tantum respiciendum, an personæ, de quarum Affinitate  
quæritur, tales sint, & quo gradu, sed etiam quo genere con-  
junctæ sint, cum triplex Affinitatis genus constitutum, pro va-  
rietate triplicis matrimonii, quod nulla nova Cognatio inter-  
venit & sexum semper mutavit, de generibus hiscè Affinitatis 35  
nunc videndum. Et quidem secundo & tertio genere Affi-  
nitate matrimonium non attentis gradibus permissum vo-  
lunt, explosa Juris Pontificii sanctione, in *c. 12. c. 35. qv. 2. 3.*  
*per cap. pen. X. de Consangvin. & Affin.* ubi in secundo & tertio  
genere liberè matrimonium permittitur, conf. *Dn. Richt. P. 1.*  
*D. 10. num. 14. Hahn. ad Wesenb. de R. N. n. 4. Schneidw. d. l.*  
*n. 13. sicut & in Facultate Juridica Francofurtensi d. 18. Jul. Anno. 36*



1677. pro tali matrimonio pronunciatum, testatur D. Stryk. *Annot. ad Inst. de Nupt. Rubr. de Comput. Grad. Affin. §. 25.*

37 XIII. Judex tamen Ecclesiasticus, quando res est inte-  
gra, has personas graviter admonere debet, ut à tali matrimo-  
nio abstineant propter scandalum, cum imperitis facile hac  
38 ratione occasio dari posset ad incestum. Si verò res non am-  
plius est integra, sed celebrata jam sunt sponsalia, vel alias effi-  
cax promissio facta, tunc tale matrimonium non dissuaden-  
dum judicarunt Theologi & Jcti Wittenbergenses, attestante  
Beuft. P. 2. C. 55. Quæ maximè illustrantur per *Respons. Consist. Dresd. ap. Dedeken. Vol. 3. Consil. Theolog. Lib. 3. Sect. 6. n. 29.* Et  
eatenus D. Stryk. d. l. cum aliis Dd. concedit, ut quis Sororis  
denatæ Mariti Viduam in uxorem ducat, conf. Dn. Philipp.  
*Us. Pract. ad Inst. Lib. 1. Eclog. 67.*

39 XIV. Præterea, cum neque nudis Sponsalibus contraha-  
tur Affinitas, nisi sequatur matrimonium, §. 9. *J. de Nupt.* nec  
etiam consensus cognationem ante copulam carnalem con-  
stituat, quæ matrimonium impediatur, Dn. Richt. P. 1. Dec. 11.  
n. 16. dispensatio obtineri poterit, qui defunctæ Sponsæ foro-  
rem in matrimonium ambit, præstato prius in dubio, si crebra  
40 Sponsi cum Sponsa conversatio, Juramento purgationis, quod  
41 Sponsam suam carnaliter non cognoverit. Quamvis cautè in  
dispensatione hac procedendum non dubitem, cum invere-  
cundum videatur, eam in amplexus tuos ire, quæ osculis Pa-  
tris, Filii vel Fratris maduit, ut loquitur Matth. in l. 48. ff. tit. 3.  
*cap. ult. n. 26.* allegatus à Dn. Brunn. in *Comm. ad l. 5. §. 8. C. de  
Incest. & Inutil. Nupt.* & scandalum facile oriri posset in Ecclē-  
sia, præsertim apud plebem, quæ inter Affinitatem inchoatam  
& consummatam vix distingvere novit.

42 XV. Insuper, cum Adulterium quoque tam grave deli-  
ctum sit, ut Lycurgus nullam de Adulteriis legem vel ideò se-  
tulisse dixerit, quod tanta apud Spartanos eo tempore pudici-  
tia esset, ut neminem ejus criminis Reum arbitraretur, adeoq;  
non immeritò & hic Coitus sub pœna capitali ipso Jure divino  
43 damnatus, ut supra demonstratum: Quin capitalis hujus de-  
licti pœna à Principe regulariter remitti, isque adeò de alie-



no benignus esse nequeat, post alios rectissime tenent Carpz.  
*Pr. Crim. P. ult. Qv. 150. n. 29. Limn. de Jur. Publ. Imp. Rom. Lib. 4.*  
*Cap. 8. n. 283. Heig. Quest. Illustr. Part. 2. Qv. 24. n. 30.*

XVI. Cessat tamen ordinaria gladii pœna, (1) Si Coniux<sup>44</sup>  
 pro Coniuge Adultero intercedat, arg. *Auth. sed hodie. C. ad L.*  
*Jul. de Adult.* quod Jure Electorali Saxonico, si singulares quæ-  
 dam concurrant circumstantiæ, etiam procedit in Adulterio  
 primi generis, quod duplicatum vocant, *Decis. Elect. 82.* ibique  
 Dn. Philipp. Dn. Richter. *Decis. 88. n. 89.* si vè expressa inter-<sup>45</sup>  
 cessione Injuriam sibi illatam Uxori Adulteræ remisit Mari-  
 tus, si vè tacita etiam ipso facto, si videlicet post Delictum ad-  
 missum sciens cum ea concubuerit, cum ejusmodi copula sit  
 actus amicitia, quam dum exercet Coniux innocens, nocen-  
 tem recipere in pristinam amicitiam videtur, per complexus  
 istos conjugales pristina maritali Societate, Adulterio disso-  
 luta, redintegrata. Quamvis hoc casu, ut publico scandalo<sup>46</sup>  
 pariter satisfiat, relegatur pars nocens, & pars innocens sequi  
 teneatur Coniugem adulterii rem abeuntem in exilium, nam  
 remissio Mariti potest quidem civilem Actionem & civilem  
 pœnam Adulterii tollere, non verò publicam vindictam.

XVII. Nè autem privilegium hoc Intercessionis Juri di-<sup>47</sup>  
 vino quodammodo contrarium nimis extendatur, vix admit-  
 tendum illud, quod Carpz. *Prax. Crim. Qv. 55. n. 122.* statuit, remis-  
 sionem innocentis prodesse etiam alteri parti, seu socio vel so-  
 cia criminis. Communiter enim Coniuges, quando pro Con-<sup>48</sup>  
 iuge decepta intercedunt, allegare solent, quod fuerit Maritus  
 vel Uxor sua decepta & variis lenociniis illecta: Hinc, si ob re-  
 missionem Uxoris factam etiam Corruptori parcendum, utiq;  
 faciendum id esset propter varias artes & insidias alterius uxori  
 factas, & sic malitia & dolus adulteri esset causa, cur uxori par-  
 catur hætenus innocenti. Hæc gratia Uxori facta esset causa,  
 cur etiam adultero parcatur: Causa enim causæ est etiam causa  
 causati. Dn. Bruun. *Process. Inquis. C. 9. n. 36.*

XIX. Quamvis etiam inter Sponsum & Sponsam verum<sup>49</sup>  
 consistat matrimonium, ut supra demonstratum, adeoq; & A-  
 dulterium pariter à Sponso & in Sponsam committi queat,



50 probante Ulp. in l. 13. §. 3. ff. ad L. Jul. de Adult. & Alexandro l. 7. C.  
 eod. suffragante Autoritate Juris Divini, quo Sponsa aliena al-  
 51 teri copiam sui faciens dicitur adultera, *Os. Cap. 4. vers. 13.* Juri Di-  
 vino quoq; convenire videatur, ut stuprator Sponsæ alienæ  
 52 perindè ut Adulter morte puniatur, *Deut. 27. vers. 23. & seqq.* Jure  
 tamen Saxonico Sponso vel Juvene soluto, cum alterius Spon-  
 53 sa carnaliter se immiscente, pœna ordinaria Adulterii solet mi-  
 tigari, & mitior quædam, scil. fustigationis ac perpetuæ relega-  
 tionis dictari, per *Const. Elect. Eccles. Tit. von der Straffe der*  
*Unzucht und des Ehebruchs. §. würde aber auch iemand*  
*eines andern Braut / ehe der Bräutigam beygelegen / wis-*  
*sentlich beschlaffen / so sollen beyde Personen zu Staupen*  
*geschlagen und des Landes ewig verwiesen werden. Quæ*  
*sanctio verbotenus repetita & confirmata in Ord. Matrim. Punct.*  
*4. §. würde auch.* In Casu autem controverso, si Sponsus ad  
 54 fœminam solutam accedat, cumq; ea rem habeat, adulter Spon-  
 sus solummodò fustigatione, fœmina autem soluta temporali  
 relegatione puniri debet, vid. *Carpz. d. l. Qu. 56. n. 26. & seqq.*  
 XIX. An is, qui alterius uxorem meretricio more viventem  
 55 cognoscit, pœna Adulterii ordinaria sit plectendus, an verò  
 circa eandem dispensandum, dubitatur. Et quidem pœnam  
 ordinariam requiri per l. 13. §. 2. ff. ad L. Jul. de Adult. videtur, cui  
 tamen contrariatur l. 22. C. Eod. Quos textus conciliare  
 solent, ut quidem mulier ordinaria pœna castigetur, & primus,  
 qui eam corrumpit, sed cœteri pœna extraordinaria, *Cz. d. l. Qu. 57.*  
 dum Maritus connivens ferè pro Lenone habendus, & Mulier,  
 56 quæ multis se prostituit, Adulterum pellexisse præsumitur.  
 Non verò, quod vinculum matrimonii semel ruptum, cum ex  
 hac ratione nec Adultera puniri posset, conf. Dn. Brunn. in *Com-*  
*ment. ad d. l. 13.* Nec, si Uxor semel tantum se fortè stuprari passa  
 57 à Juvene, postea à Marito alieno, Marito pœna ordinaria re-  
 mittenda, cum d. l. 22. secundum Brunn. in *Comment. ad Eand.*  
 non intelligenda sit de ea, quæ semel atq; iterum in corpus su-  
 um peccat, sed de ea, quæ semet à Marito separavit, vulgò se  
 prostituit adeoq; prostibulum factum. Cum quo etiam facit  
*Ant. Matth. de Crim. Tit. 3. C. 1. n. 16.*



XX. Præterea, si Vir, cujus Uxor malitiosè discessit, ad aliam 58  
 Fœminam fuerit prolapsus, aut Uxor à Marito suo deserta, alium  
 admiserit, pœna Adulterii mitigari solet, Carpzov. *Pr. Crim. Part.*  
*2. Qu. 58.* respectu tamen habito, quis causam desertioni præ bue- 59  
 rit, quamdiu abfuerit desertor, an pro mortuo vulgò habitus, cum  
 posset aliquis desertioni causam præbere, ut licentius peccet, se-  
 cundum Brunn. *Process. Inquis. Cap. 9. n. 39.* aut absentiam pro Cautè 60  
 la adhibere, quò dissolvatur Matrimonium, dum ex communi  
 præsumptione intelligit difficulter conjugalis istius beneficii semel  
 compotes factæ contra fervorem naturæ resistere posse, testante  
 Imp. *in Nov. 2. C. 3.* in hoc maxima Uxoribus constituta cupiditate  
*l. 2. C. de Indiçt. Viduit. toll. Nov. 39. C. 2.* ut hinc vix fieri possit, quin  
 pars deserta ope conjugali destituta, remedioq; ustionis & Jure  
 suo interim privata, vitam ducat honestam, nec ad fornicationem  
 vel adulterium se induci patiatur, Carpz. *Jurispr. Consist. Lib. 2. D.*  
*209. n. 1.*

XXI. Præter hos casus sunt adhuc modi, qui dispensatio- 61  
 nem pœnæ Adulterii svadent, ut si quis innuptam existimaverit  
 fœminam, quæ nupta erat, fortè quod prostaret in lupinari, aut  
 pro stola gestaret togam, excusandus est à pœna capitis, quemad-  
 modum ille excusatur, qui putabat mulierem à lege repudiatam  
 esse, *l. pen. ff. d. r. si adulterare volens, præter spem stupraverit,* aut re 62  
 vera nè quidem stuprum commiserit, cujusmodi Exemplum  
 refert D. Stryk. *de J. S. Dissert. 19. Cap. 6. n. 52.* ex Harsdörffero de Mo- 63  
 litore, qui cum fœmina quapiam de Adulterio incerto quodam  
 loco consummando pactus, fœmina verò uxori negotium expo-  
 nente ipsa uxor mutatis vestibus ad destinatum locum se contu-  
 lit, ac Marito ignorantem semet supposuit. Quamvis enim in foro 64  
 interiori etiam sit Adulterium, si Maritus cum soluta rem habeat,  
 aliter tamen cœlestis Judex, aliter Judex hujus seculi crimina exi-  
 git, ille etiam eos adulteros pronunciat, qui aspiciunt mulierem  
 animo libidinoso, Judex autem hujus seculi cogitationis pœnam 65  
 nemini tribuit, *l. 18. ff. de Pœn.* Hinc etiam ejusmodi ignorantem  
 ut adulterum non esse puniendum censent, cum eventus non re-  
 sponderit intentioni, & ipso facto Adulterium non fit commis- 66  
 sum, licet ob attentatum Adulterium extraordinaria aliqua pœna  
 sit afficiendus, conf. D. Brunn. *in Comm. ad. l. 8. ff. de his, qui nor. inf. n. 3.*



67 XXII. Vice versa autem, si femina, quæ maritum suum in vi-  
vis esse ignorat, Juveni in pari opinione, ac si maritus mortuus, con-  
stituto sub figura matrimonii semet supponat, quamvis re vera biga-  
mia committatur, cum maritus mortuus non sit, quod si tamen pro-  
68 babilibus præsumtionibus, indiciis aut testibus suffulti & moti exi-  
stimant, priorem conjugem fati cessisse, aut pœnæ extraordinariæ  
tantum, aut si planè nulla culpa sit, absolutioni totali locus est, l. 18.  
C. ad L. Jul. de Adult. l. 11. §. Mulier. cum l. pen. ff. Eod. cum bigamia dolo  
contracta requiratur, ut pœnæ capitali locus sit, Art. 121. ibi: *betrüg-  
licher weise mit wissen und willen.*

69 XXIII. Probè tamen hoc casu respiciendum, si intra spatium,  
alter Conjux non redeat, an ex ratione probabili diutius absit, nec  
tamen animum deserendi Conjugem habeat, tunc enim certa de  
obitu ejus requiritur scientia, nè citra culpam Conjugè sua spolie-  
70 tur. Qui verò malitiosè Conjugem suam deserit, non censetur for-  
tunæ Injuria prohiberi, quò minus redeat, sed si tribus vicibus pu-  
blicè in trium diversorum Dominorum territoriis citatus non com-  
pareat, præsumitur in perpetuum Conjugem suam deseruisse, impie-  
que matrimonii sacris renunciassè, adeoq; mors ejus expectanda,  
planè non est, Hahn. *Select. Dissert.* 14. §. 85.

71 XXIV. Inter reliqua crimina venerea & delicta carnis ultimum,  
quidem est, sed omnium gravissimum, foedissimum & Jure Divino  
pariter atq; humano detestabilissimum Sodomia, adeò, ut Autor Na-  
turæ DEUS Opt. Max. hujus peccati indignitatem & foedam maligni-  
tatem in cœlum usq; clamare, & indè sui vindictam exposcere dicat,  
*Genes. 19. Exod. 22. vers. 19. Lev. 20. v. 15.* Atq; hinc quoq; delinquentibus  
72 remitti vel condonari nequit, statuentibus Carpz. *Pr. Cr. Part. ult. Qv.*  
*150. n. 29. Gebh. de Jur. Princ. Concl. 5. n. 6. Dan. l. 6. Pol. Christ. Cap. 3. Tit. de*  
*Jud. Crim. n. 11. Harprecht. §. 5. Inst. de Obl. qv. ex Del. nasc. n. 50. Damh.*  
*in Pr. Crim. Cap. de Remiss. 147. n. 6. Beat. in Sent. defn. P. 5. de Judicial. n.*  
*30. & Cluten. in Syllog. Rer. Quotidianar. §. 8. lit. G. Heig. Part. 2. Qv. 24.*  
*n. 32. Cœterum nunc exclamo cum Propertio Lib. 3. Eleg. 23. vers. 15.*  
*§ 16. p. m. 276.*

*Ecce coronate portum tetigere carinae:*

*Trajecta fyrtes, anchora jacta mihi est.*

DEO, Studiorum Promotori Optimo Maximo sit  
LAUS HONOR ET GLORIA.



*Tu contra Themidos secreta volumi-  
na tractas,*

*Et gaudes studiis continuare dies.*

*Nitere sic porrò, Themis amplos spon-  
det honores,*

*Frontem laureola cinget, Amice,*

*NOVA.*

Hicce Politissimo atque Doctissimo Dno Autori, Com-  
mentali suo, cum Francofurti degeret, Optimo,  
Amico per dilecto felicissimos successus, tandemq;  
præmia Studiorum condigna animitus adpre-  
catur

**Tob. Grang/ D.**

**Q**uod sceierum Vindex vetat, & Natura repellit,  
Et damnant Leges Juraque cuncta nefas.

Hoc certè fugiant, paveant, meminisse recusent,

A CHRISTO quotquot nomina clara gerunt,

Quid verò Coitu magis execrabile restat

Illicito? Nihil; ut Litera sacra docet.

Quare Tibi STELTZNERE subest justissima causa

Hæc commonstrandi, ceu Tua scripta probant.

Et quoque jam rectè facis unicuique relinquens

Talia, quæ semper sunt fugienda probè.

En! Tibi quæ Francofurtum cum laude paravit,

Hac in Salana docta Cathedra videt.

Maeste



Maacte labore fies, studium DEVS usque secundet!  
Sic ubicunque Tibi Nobile Nomen erit.

*Dn. Autori-Respondenti debita Observantie gratia  
hæc paucula scribebant ipsius*

## COMMENSALES.

**C**ontinuos animo firmo perferre labores  
Et benè scrutari, quid sibi Jura velint?  
Laudis habet cumulum, quod Tu STELTZNERE revelas :  
Gratulor, ac ingens Gloria Te maneat.

*Tria hæc Domino Contubernali gratulab. scribere  
voluit debuit*

C. Schultz, Stend. March.

**D**um Coitum damnas, divina Lege coarctum,  
In Cathedra, poenas adjicis atque graves:  
Insuper hic monstras, cum Dispensatio cessat,  
Laus est, sed major, dum fugienda fugis.  
Hinc meritò laudo tantos conaminis ausus,  
Ac, studiis faveat porrò Jehova, precor.

*Hæc paucula Domino Populari tenui modulatur avena.*

J. C. Bombach. M. B.

Errata exstantiora, quæ ex incuria Typographi  
irrepserunt, sic corrigenda.

*Pag. 6. lin. 21. pro l. 54. lege l. 34. lin. 22. pro C. lege ff. pag. 15. lin.  
6. pro tam Consanguinitate lege tam in Consanguinitate. lin. 29. pro C. lege ff.  
pag. 16. lin. 33. pro vers. 13. lege vers. 31. pag. 17. lin. 16. pro Deut. 16. & 17.  
lege Deut. 17. vers. 16. & 17. pag. 22. lin. 15. pro Jurisque lege & Juri. pag.  
24. lin. 15. pro Milites lege Miles. lin. 16. pro Adulteriis lege Adulteri*


Cætera leviora ipse B. L. corrigat.





*Vir Per-Illustris & Reverendisime,*

*Domine Patrone ac Promotor Maxime,*

 Uò humillimæ mentis subjectionem  
Reverendisimæ Tuæ Magnificen-  
tiæ testari, simulque me quam com-  
mendatissimum facere liceret, in eo omnis  
hûc usque cura atque animi sollicitudo ste-  
tit, ad id omnis Studiorum meorum ratio u-  
nicè hætenus collimavit, postquam nuper  
non tantum Per-Illustri Tuo conspectu refo-  
verer quam felicissimè, sed ita effusa Tua  
gratia mihi allucesceret, ut eandem etiam  
in Studiis meis promovendis promitteres be-  
nignissimam. Additus namque hac ratio-  
ne animus timidis Musis, nec fortuna ipsis  
sua displicere amplius potest, postquam tan-  
ti Patroni favorem consequendi via com-  
monstrata. Ut hinc neque in Generosissi-

*mam*





*mam Tuam Magnific. me peccaturum autu-  
marim, si devotissima Confidentia ad pedes  
Tuos, DOMINE FAVENTISSIME, tene-  
ros Studiorum meorum flores, qui matu-  
ros cum annis dabunt fructus, si gratia Tua  
servabuntur, tanquam debitæ Observan-  
tiæ, Reverentiæ & Pietatis meæ candidis-  
simum pignus solenni ritu Academico reli-  
giosè depono. Quem cultum à Reverendis-  
sima Tua Magnificentia placida fronte ad-  
missum dum intellexero, simulque in poste-  
rum de Gratia & Patrocinio Tuo securum  
me esse jusseris, eventu spes & optato deside-  
ria mea exitu gaudebunt. Incolumem inter-  
ea Te, Patriæ Columen, Generosiss. Fami-  
liæ Splendorem & unicum laborum meorum  
præsidium sospitet DEVS!*

Reverendissimæ Tuæ Magnificentiae  
Devotissimus Cuius  
JOH. WOLFFGANG. Stelbner.



WMA


ULB Halle 3  
003 142 973  









B.I.G.

Farbkarte #13

Black  
3/Color  
White  
Magenta  
Red  
Yellow  
Green  
Cyan  
Blue

*Cr. 13. num. 3.*

N. J. C. 1684, 5

I T A T E  
orum *Ordinis*

*Academia Fenensi*

**AMNATO,**

ESIDIO

**L. K. Bechmann/**

**bern-Tröbra/**

**umpti, Comitis Palatini**

**Famigeratissimi, Consiliarii**

**natus Ascesoris Gravisimi,**

*otoris sui maxime*

*ndi,*

DC LXXXIV.

C.

SPONDENS.

**GANG. Stelkner/**

March.

Æ  
SIANIS.

